Primus ante Epicurum voluptatis introductor extitit Sophocles poeta, qui ita ſcripſerat in Antigone:

—— voluptates enim Ubi viri ſpernunt, puto non vivere,
Sed eſſe animarum corpus, atque mortuum.

Athen. lib. 12. cap. 25. Dipnoſophiſtarum.

MUSICI.

Battalus tibicen, laſciva, & vinolenta carmine complexus eſt: fecitque adagio locum, Battali ſimilis. Cœlius ait, hunc primùm omnium calceis fęmineis in ſcena uſum fuiſſe, artemque tibiarum omninò remolliviſſe. A quo fluxos, exoletos, & parum viros, Battalos vocant.

HÆRETICI.

Mahumetus impuriſſimus docuit voluptates corporis futuræ felicitati minimè officere, legem ſuam ſervantibus promittens deliciarum hortum paradiſum, in quo optatiſſimis fruituri eſſent deliciis, & omnis generis voluptatibus: Puellis veſtes ornatas, & Angelorum amplexus, cæteris, quas quiſque expetere poſſet, carnis voluptates. Qua verſutia belluinum ſuaptè natura populum, quò voluit, traduxit, cùm omne genus libidinis, ac voluptatis promitteret. *Cuſp.*

MULIERES.

Quemadmodum in picturis Herculi videmus ſubtrahi ab Omphale clavam, leonitiamque detrahi; ita frequenter exarmatum M. Antonium Triumvirum induxit Cleopatra, ut amiſſis è manibus magnis rebus, atque expeditionibus contra Parthos neceſſariis, oſcitaret, luderetque ſecum circa Canopi, & Thaphoſiridis litora. Tandem, ut Paris, cùm profugiſſet ex pręlio Actiaco, in illius ſe ſinum abdidit; immò victus confugit in thalamum Paris: Antonius Cleopatram conſectans fugit, & projecit victoriam, & in tabernaculum marinum, quod nominabat Timonium ab odio hominum, ſeſe contulit. Nec multò pòſt tamen acceptus à Cleopatra in regiam, convertit civitatem ad comeſſationes, poculaque, & ſe ad donativa. Cleopatræ, & Cæſaris filium inter ephebos adſcribit, togam puram, & virilem Antyllo dedit ſuo ex Fulvia filio: quamobrem agitaverunt convivia per multos dies, comeſſationeſque, & feſtum Alexandrini. Illi conventum iſtum imitabilis vitæ (quo priùs utebantur rebus ſecundis) diſſolverunt, atque alium inſtituerunt, nihilo deliciis, luxu, ſplendore illo inferiorem, quem Commorientium dixere. Nam amici eorum, qui volebant commori, nomina dabant, tranſigebantque tempus per voluptates, in cœnarum orbibus. *Plut. in Antonio, & Sabel. lib. 8. En 6.*

TEMPERANTIÆ ODIUM.

Hermodorum Philoſophum Epheſium, quia frugalis, & modeſtus erat, è civitate expulerunt Mileſii, qui, *teſte Pomponio,* auctor fuit duodecim tabularum ferendarum decemviris Rom. *Plinius* tamen aſſerit, fuiſſe decemviralium legum interpretem, cui propter id ſtatua publicè dicata fuit. *Strabo lib.* 14. Mileſios omnes ſupendio dignos eſſe cenſet, qui Hermodorum ejecerint, proclamantes: Nemo ſit apud nos frugi, alioquin eiiciatur.

INTEMPERANTIÆ FRUCTUS, SIVE DIGNUS.

Tantalus voluptatum avidus, cùm in Deorum conſortium admiſſus impetraſſet optionem petendi quicquid vellet, à Jove poſtulavit, ut ad eum modum jugiter viveret inter epulas, nihil hac re ducens felicius. At indignatus Jupiter promiſſum præſtitit, hominiſque optatis ſatisfecit. Cæterùm nè frui poſſet appoſitis, ſaxum ingens jamiam caſuro ſimile ſupra verticem ſuſpendit, cujus metu non audebat quicquam attingere. *Athen. lib. 6. & Virg. Ænn. 6.* hoc ad Lapithas, Ixionem, ac Pyrithotum refert:

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pyrithoumque,
Quos ſuper atra ſilex, jamiam lapſura, cadenti
Imminenti aſſimilis? Lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus probibet contingere menſas,
Exurgitque facem attollens, atque intonat ore.

Uſurpat & *Pyndarus in Iſthmiis hymno* ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λίθον παράτις ἔτρεψεν ἄμμι θεός. *Eraſ. in Proverb. Tantali Lapis.*

Tithonum ab aurora dormientem ad Solis occaſum uſque vix veſperi cupiditas cibi excitabat. Unde cum Aurora dormire dictus eſt: & quia voluptatibus in ſenectute frui non poterat, in cicadam mutatus fingitur, garriens delicias, quarum fructu deſtitutus erat. *Athen. lib. 12. c. 27.*

Narcissum traditum fabulis eſt, in aquis imaginem conſpicatum propriam, ejus irretitum amore mox amplexandi ſtudio deſiliviſſe, atque eo modo abſumptum. At id eſſe falſum, perſpicuè liquet. Illud verò certius, & gravius, adoleſcentem in terreni corporis fluxu umbram inſpectaſſe propriam, id eſt, corpoream vitam, quæ animæ veræ idolum eſt poſtremum. Eam cùm is perinde, ac veram, primamque amplexari arctiùs feſtinaſſet, quod eſt, cùm vitæ corporeæ inhæſiſſet totus, interiit præfocatus, quoniam vitam veram, id eſt, animalem per inſcitiam amiſiſſet. Unde irrepſit adagium Græcis, δεδιὼς τὴν αὑτοῦ σκιάν, Suam ipſius metuens umbram. *Cælius lib. 26. c. 21. A. L.*

Ulissis ſocii, Circes veneficæ carminibus, id eſt, fœdiſſimis voluptatibus, in bruta animalia, ac porcos mutati ſunt, ut fingit *Homerus.*

L. Sylla Dictator luxuriæ, intempeſtiviſque conviviis deditus (nullius enim conſuetudine magis tenebatur, quàm Roſcii Pantomimi, & Macrobii Bacchanalium cantoris) cibi, & potus intemperie inteſtinum morbum tùm primùm naſcentem aluit. Procedente tempore vitiatum corpus totum in fœdam pediculorum tabem abiit, ut tunicæ, thermæ, balnea, quæ aſſidua frequentabat, dapes quoque, diris polluerentur ſordibus. Nulla poſtremò cura par fuit tetro morbo in horam renaſcenti. *Sab. lib. 3. Enn. 6.*

INDIGNUS.

☞ *Huc eorum exempla, qui licet omni Voluptatum genere ſeſe, alioſve corrupiſſent, nullam tamen ejus improbitatis pęnam tulerunt.*

☞ *Conſulantur Loci earum rerum, in quibus voluptas eſſe conſideratur.*

* VOLUPTATES MUNDI FLUXÆ, ET NOXIÆ.

In Genere.

Veriſſimum eſſe, eventus frequens docuit: unde ait *Ovidius lib. 7. Metam.*

—— uſque adeò nulla eſt ſyncera voluptas.
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Item illud *Horatii.*

Nulla ſors longa eſt, dolor, & voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas.

Quibus conſonat *Boetius.*

Habet hoc omnis voluptas
Stimulis agit furentes,
Apiumque par voluptatum
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimium tenaci
Ferit iſta corda morſu.

Otium, & requies, ſtudiumque litterarum voluptatem, contemplationemque rerum afferens, convenientiſſima eſt ſeni, laboribuſque domi, & militiæ defuncto recreatio. At voluptati, tanquam is finis rerum præclarè geſtarum eſſet, ſe dare, poſt bellicos civileſque magiſtratus Veneris ſacris vacare, ludendo, luxuriandoque, id verò indignum eſt Academia præclara, neque ejus, qui Xenocratem imitetur, ſed qui ad Epicurum inclinet. *Plut. in Compar. Cimonis, & Luculli.*

Quia corpora reſolvit voluptas in dies emolliens deliciis, quarum aſſiduus uſus tollit vigorem, relaxans vires eorum, unde morborum, & laſſitudinum copia egregiè proficit, & ſenectæ rudimenta in juventute præcludunt. *Idem. l. cont. volupt.*

Vera eſt mancipans ſibi homines voluptas, ſed non fera: nam ſi apertè pugnarit, citò caperetur: nunc autem etiam ideò inviſa magis, quòd celat inimicitiam: induta habitu benevolentiæ: Itaque dupliciter adverſanda, quod nocet, & quod fallit. *Idem. Ibid.*

Quid autem de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena eſt anxietatis: ſatietas verò pœnitentiæ, quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Triſtes verò eſſe voluptatis exitus, quiſquis volet reminiſci libidinum ſuarum, intelliget: quæ ſi beatos explicare poſſet, nihil cauſæ, quin pecudes quoque beatos eſſe dicantur. Nihil igitur dubium eſt, quin ad beatitudinem deviæ quædam ſint. Nec perducere quemquam eò valent, ad quod ſe perducturas eſſe promittunt. *Boet. lib. 3. de Philoſ. conſ.*

Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ? Quidam ſe voluptatibus immergunt; quibus in conſuetudinem adductus, carere non poſſunt, & ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eò pervenerunt, ut illis, & quæ

ſupervacua fuerunt, facta ſint neceſſaria. Serviunt utique voluptatibus ſuis, non fruuntur: & mala ſua (quod malorum eſt ultimum) amant. *Seneca Epiſt. 39.*

Exempla et Apophthegmata.

Demosthenes Corinthum aliquando navigavit, illectus fama nobiliſſimi ſcorti Laidis, ut ipſe famoſo potiretur amore. At cum illa pro nocte decem drachmarum millia peteret: Non emo, inquit, tanti pœnitere.

Architas Tarentinus Pythagoricus dixit, nullam peſtē eſſe voluptate capitaliorem. Siquidem ex ea, tanquam ex fonte, prodit quicquid eſt in hominum vita ſcelerum, & calamitatum.

Aristoteles admonebat, ut voluptates contemplemur, non venientes, ſed abeuntes. Venientes enim fucata ſpecie blandiuntur: abeuntes dolorem, ac pœnitentiam relinquunt.

Zenon incuſabat pleroſque, inquiens: Cùm liceat è laboribus voluptates capere, eos è popinis potius petere.

Musonius dicebat extremæ impudentiæ eſſe in ſubeundis, vel ſuſtinendis quidem laboribus meminiſſe corporis imbecillitatis, erga voluptates autem oblviſci.

Plato dicebat, difficile eſſe invenire, intemperantibus quidem bonam voluptatem, ægrotantibus autem ſalubrem. *Serinus in memorabilibus dictis.*

Veluti turpe admodùm, meretricem in nobilium matronarum cœtum; ita in virtutum concilium Voluptatem adducere, indecorum. Eſt enim ea cum quadam lubrica ſuavitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio. Pulchrè igitur Ludovicus Rex, dum intellexiſſet nobilem quendam ob puellam Neapolitanam deperire; Gravis, dicebat, Tyrannis eſt voluptas, quæ ea demum concupiſcit, quorum eſt copia anguſtior. Ex *P. Æmil. in Vita Beyerl. in Apopht. Chriſtian.*

Pior Monachus. ☞ *Require Apopbt. de Cibo, & Ira.*

A Petro Aldobrandino Cardinale, quid expectatis? Interrogatus quandoque, quænam Religioni peſtis acerbior infligi poſſet? reſpondit: Voluptate nulla atrocior. Facit enim voluptatum illecebra, ut Religionis lumen obtenebretur. *Henr. Farneſ. in Apopht. Beyerl. ſuprà.*

Ruminabat Thomas Morus, toto vitæ ſuæ tempore, ut auctor eſt T. Staplet. Nulla eſt animi pejor affectio, quàm ea re delectari, quæ niſi peccando obtineri non poteſt. Inſinuans mundi voluptates noxias, & poſſeſſores in peccati ſervitutem trahere. Idem convenienti Emblemate expreſſit Georg. Sabinus, dum ita canit:

Cùm puer alveolo furatur mella cupido,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.
Sic etiam nobis brevi & peritura voluptas,
Quam petimus, triſti miſta dolore nocet.

In voluptatis regno non poteſt virtus conſiſtere. *Cato Major.*

Qui voluptati deditus eſt, huic omnia ſenſu, non ratione ſunt judicanda: eaque dicenda optima, quæ ſunt ſuaviſſima *Cic. 2. de Finibus.*

Impedit conſilium voluptas, rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. *Cato Major.*

Nulla Capitalior peſtis, quàm corporis voluptas, hominibus à natura data eſt. *Cato Major.*

Vitium ventris, & gutturis non modo minuit ætates hominibus, ſed etiam aufert. *Pro M. Cœlio.*

Voluptatem dimittamus, & ſuis ſe finibus tenere jubeamus, ne blanditiis ejus, illecebriſque capiatur nimia voluptas 3. *de Finibus.*

* In Specie.

☞ *Revocari huc poterunt in Loco de Luxuria, Ebrietate, Choreis, aliiſque, quibus voluptates in particulari tractantur, quæ damna eorundem ſectatores conſequantur, quantuncumque cùm animo, tum corpori obſint.*

Veteres inter alia commenta referunt voluptatem, & dolorem ſe mutuo coram Jove accuſaſſe: cùmque ille lites eas decidere non poſſet, ex eo quod individuam velut ſocietatem in iis adverteret, actores ipſos catena adamantina vinxiſſe, ut unus alterius comes, & velut pediſſequa perpetuò eſſet.

Unde & tunc Martem à Vulcano concluſum finxerunt, cùm Veneri adhæſit, fortaſſis involventes ea fictione fortiſſimi Samſonis in Dalilæ meretricis ſinu dormientis triſtiſſimum eventum. Pulchrè. *Lucret. l. 4.*

—— medio de fonte Leporum.
Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.

Scipio apud *Livium* compellat Maſſiniſſam, *lib. 10. Decad. 3.* Non eſt mihi crede tantùm ætati noſtræ ab armatis hoſtibus periculi, quantum à circumfuſis undique voluptatibus.

Tempore Alexandri Magni miſſa ad eum fuerat à Rege Indorum Puella, quæ veneno Napella enutrita abſque noxa attingi non poterat, quod Ariſtoteles advertens, eum monuit ſibi ab ea temperare, quod hinc inſidias, & exitium ſibi paratum eſſe certò perſuaderet, veritatem eventus comprobavit, quotquot enim ſe illi commiſcuerunt, illico intoxicati perierunt.

Sic legimus Ladislaum Regem, cum virgine Neapolitana, quæ Napella infecta erat, converſantem luxurioſè intereiiſſe.

Quin parentum nupera memoria, cùm Galli Neapolim obſiderent, neque Cæſariani eos ſuperare poſſent, ſub prætextu caritatis annonæ, inutilem turbam urbe dimiſerunt, atque inter alios meretrices formoſiſſimas ſerpigine Indica ex venereo contactu infectas miſcuerunt. Quas cum Gallorum Principes intemperantiores, ſpecie externa allecti, libenter, & avidè in ſuum contubernium excepiſſent, mox lue illa infecti, univerſum exercitum pariter infecerunt, ac tandem id malum in Galliam delatum, à Gallis nomen ſortitum fuit.

Verè impuram voluptatem confert Chryſoſt. *hom. 13. in Act. Apoſtolor.* voluptati illi, qua afficiuntur ſcabioſi, dum ſe ſcalpunt, utpotè cui intenſior ſuccedit dolor, & moleſtia. *Camerar. cent. 3. hor. ſuccif.*

Quid fuit, quòd Alexandrum Magnum, exilem, & non jam magnum etiam in flore ætatis reddidit, quàm crapulæ, ebrietatis, & intempeſtivæ Veneris uſus?

Invictum armis Hannibalem Campaniæ luxuria complexa armis eum exuit, & vincendum præbuit, atque ad ſomnolentiam, & torporem evocavit. Voluptate ſiquidem, ut rectè *Val. l. 9. c.* 1. Victoriæ langueſcunt, gloria in infamiam convertitur, animi pariter, & corporis vires expugnantur.

* PER VOLUPTATES EVERSA REGNA. IMPERIA. RESPUBLICÆ.

Jam verò ſi in ipſos voluptuarios dumtaxat hæc lenocinia ſævirent, tolerabile foret: ſed heu! à capite, id eſt, rectoribus ipſis in populum, & membra reliqua dilabitur ea peſtis, ac brevi temporis intervallo, urbes, populos, regna, imperiaque depaſcitur. *Ariſt. lib. 5. Polit. c.* 10. ſcribit, plures Reges, & Principes voluptatum illecebris interiiſſe, ac ſe, ſuaque regna, & populum perdidiſſe.

☞ *Exempla, & hiſtorias hujus rei innumerabiles penè in medium adduximus in Loco de Imperio. Tit. Imperiorum excidia, ruinæ, ejuſque cauſæ. Tum. Libido, Luxuria. Voluptates, &c.*

Certè voluptates, luxum, & delicias Principum Deus per *Iſaiam* inſectatur *cap.* 5. Væ inquiens, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, & vino æſtuatis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis. Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit: propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum ſine ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, glorioſique ejus ad eum, & incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur, & exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in juſtitia.

Et *Eccleſiaſtes c.* 10. Væ terræ, cujus rex puer eſt; & cujus principes manè comedunt.

Exempla in Particulari.

☞ *Deſumantur ex Loco de Libidine, Luxuria, Ebrietate.*

Voluptatum Fuga.

☞ *Vide Tit. de Abſtinentia, Caſtitate, Sobrietate, Labore, &c. Et multa ex profeſſo in loco de Temperantia multis Titulis.*

* Hieroglyphica.

Voluptatis Hieroglyphicum *Tarantulum,* ſive Phalangium quidam ſtatuunt, ut quod cùm in oculis oblectet, & ſplendeat, tamen attactu titillationem excitet, & virus inſtillet.

Alii *Sirenes* ſtatuunt, quæ fuerunt formoſæ mulieres in littore maris habitantes, quæ quia homines tranſeuntes ſuis illecebris ad ſe alliciebant, & ad paupertatem redigebant, dicebantur iis inferre naufragia. Ideòque Ulyſſes, ne earum cantum audiret, præternavigaturus,

Illevit cera ſociorum callidus aures.

Sunt, qui *Pardum,* quo nomine maſculus Pantheræ appel-

latur; voluptatum Hieroglyphicum pingunt, ut qui odore ſuo reliquas poſt ſe feras allicit, quas mox devorat. Hamum nonnulli ſub eſca latentem, quo piſces etiam maximi illaqueantur.

Plerique *Papylionis*, & Pyrauſtæ ſymbolo voluptatem exprimunt parum duraturam. Volitant enim circùm lucernas, donec amburantur. Sanè rectè Silius Italicus:

Nec ira Deum tantùm, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

Igitur juxta *Horatii* monitum:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

& quod ante illum *Menander* dixit:

ἡδονὴν φεῦγε· ἣ τὶς ὕστερον λύπην τίκτει. Id eſt.
voluptatem fuge, quæ impoſterum dolorem parit.
Ex Collectaneis Hieroglyphic. Joan. Pierii lib. 6.

* Votum.

Definitio, & Etymologia.

Votum Greci εὐχὴν vocant. Latina vox ſignificat, vel promiſſionem, vel deſiderium, vel orationem; licèt oratio ſæpiùs dicatur προσευχὴ, præſertim in novo Teſtamento. Hebræi diſtinctis planè nominibus, quæ nullam habent affinitatem נדר *neder*, & תפלה *thephillah*, utrumque deſignant.

Hujus rei rationem reddit *Bellarminus 2. de Monach. c. 11.* quòd cùm Latinum, Græcumque nomen inventum eſt, apud Græcos, & Latinos non erat illa vera pietas, nec homines Deo, Diiſve quicquam vovebant, niſi ad id, quod deſiderabant impetrandum; ideòque votis ſemper jungebant preces, juxta illud *Vigilii Æneid. 3.*

Sed votis, precibuſque jubes expoſcere pacem.

Item Æneidos 6,

—— ceſſas in vota, preceſque.

Quantum *Valerius Maximus lib.* 1. *c.* 1. obſervat, veteres, cum aliquid expoſcendum erat, voto; cùm commendandum, precationes uſos.

Quod ad Græcos attinet, *Nyſſenus orat. 2. in oration. Dom.* notat, vocatam orationem προσευχὴν, quia poſt votum, quod vocatur εὐχὴ, fiebat. Sed Hebræi quoniam Deum piè colebant, & vota faciebant etiam abſoluta ſine relatione ad preces, deſideriumve aliquid per vota impetrandi, ut contigit quoque apud nos; idcircò propriis, ac diverſis nominibus hæc duo nominabant.

Dicitur autem votum juxta *B. Thom.* à voluntate, quaſi à primo movente rationem ad promittendum 22. *q.* 88. *art.* 1.

Et definitur in ſuo generali ab eodem, Promiſſio Deo facta. *art.* 5. ac inſinuatur ab *Eccleſ. c.* 5. Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim Deo infidelis, & ſtulta promiſſio.

Senſum autem definitionis hujus idem *Thomas* inſinuat *art.* 1. *in* 10. *argumento*. Votum eſt conceptio boni propoſiti, cum animi deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendum ſe Deo obligat.

Hugo ita definit apud Magiſtrum *lib.* 4. *diſt.* 38. Votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ ad ſolùm Deum, & ea, quæ Dei ſunt, magis propriè refertur.

Ambroſ. l. de Abel, & Cain c. 7. definit, eſſe poſtulationem bonorum à Deo, cum ſolvendi muneris promiſſione. Sed potius conditionato voto convenit ea definitio, quàm abſoluto.

Itaque ad votum non ſufficit ſolùm propoſitum, etiamſi accedat exterior ſignificatio per verba, ut patet ex *c. Literaturam de toto, & voti redempt.* ſed debet eſſe promiſſio, idque deliberata, libera cum intentione ſe obligandi, & grata promiſſario. Hæc enim requiruntur, ut promiſſio ſit valida.

Voti Divisio.

Diviſiones voti multæ reperiuntur apud Doctores. Tradunt eas accuratè *Leſſius*, & *Malderus*, in *Tract. de Jure, & Juſtitia*. Primò dividunt totum in commune, & ſingulare. Ita *Magiſter in 4. diſt. 38. C. Thom. Durandus*, & alii.

Votum Commune vocant actum illum, quo quis in Baptiſmo confitetur ſe renunciare Satanæ, & adhærere Chriſto: hic enim eſt omnibus communis; & quia eſt de rebus neceſſariis ad ſalutem, vocant etiam votum neceſſitatis. Sed hic actus reverà non eſt propriè votum, ut iidem docent, & benè oſtendit *Cajet.* nam in verbis hominis baptizandi nulla continetur promiſſio; ſolùm enim dicit, Abrenuntio, credo, volo.

Vocatur tamen interdum à Patribus, & Doctoribus votum, ſponſio, promiſſio; quia ſpeciem promiſſionis habet. Dum enim petitur à baptizando, Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus? reſpondet: Abrenuntio: ubi videtur promittere; verùm non intendit ſibi novã obligationem imponere, ſed ſolùm declarat ſe acceptare eam, quæ jure divino ineſt, non eſt propriè votum, aut promiſſio.

Votum ſingulare vocant, quod quiſque pro ſuo arbitratu de rebus non neceſſariis concipit: unde etiam dicitur votum voluntatis, quamvis reverà hoc genus voti ad res præceptas pertinere poſſit, quatenus noſtro arbitrio abſunt.

Ex parte materiæ votum dividitur. Primò in perſonale, reale, & mixtum. Perſonale eſt, quo actus perſonæ voventis promittuntur, putà oratio, ingreſſus Religionis, jejunium, abſtinere à nubendo: ſub actu enim etiam omiſſionem intelligimus. Reale, quo non vovetur perſonæ impendiũ, ſed rei. Tale eſt votum eleemoſynæ, oblationis, &c. Mixtum eſt, ubi ita concurrunt, ut partim promiſſum ſit rei diſpendium, & partim perſonæ impendium. Tale iterùm eſt triplex: vel enim principaliter promittitur, quod perſonale eſt, ut reale ex ſequela quadam annectatur, ut ſi voveas viſitare ſepulchrum Domini, ex conſequenti promittis ſumptus iſtius itineris. Vel è contra principalius promittitur, quod reale eſt, & conſequenter ſolùm quod perſonale; utpote ſi voveas certo loco aliquid Deo offerre, ex conſequenti promittis labores itineris, quos fortè perſonaliter ſubire debes: vel æquè principaliter promittitur utrumque, ut ſi tuo ſumptu perſonaliter voveas militare pro recuperanda terra ſancta.

Dividi poteſt ſecundò ex materia, in votum rei præceptæ, & tantùm conſultæ.

Dividitur tertiò ex fine. Aliquando enim emittitur purè in Dei honorem, ut reſpondeat holocauſto: aliquando in gratiarum actionem, ut reſpondeat ſacrificio Euchariſtico: aliquando vovemus pro bono aliquo accipiendo, quod frequentiſſimum eſt, & reſpondet votivo, & impetratorio ſacrificio; aliquando pro malo evitando, & reſpondet ejuſmodi votum ſacrificio pro peccato.

Dividi poteſt quartò votum ex forma promiſſionis.

Primò, in conditionatum, & abſolutum. Conditio etiam ſpectatur ex parte Dei promiſſarii, ut in voto Patriarchæ Jacob; aliquando ex parte hominis promittentis, ut ſi dicat, Niſi abſtinuero ab hoc peccato, dabo talem eleemoſynam: qua forma factum votum dicitur pœnale.

Secundò, in perpetuum, & temporale; quando vel in perpetuum, vel ad tempus tantùm aliquid Deo promittitur.

Tertiò, in explicitum, & implicitum, quale eſt in ſuſceptione Ordinum ſacrorum.

Quartò, in mentale, & voce, vel ſcripto nuncupatum.

Quintò, in occultum, & publicum. Ubi cavendum, ne confundatur occultum cum interno, & publicum cum ſolemni; nam etiam externum poteſt eſſe occultum, & ſimplex publicũ.

Denique votum ratione formæ ad ſolemnitatem pertinentis dividitur in ſimplex, & ſolemne.

Solemne vocatur, quod ſuſceptioni ſtatus immutabilis eſt conjunctum, quale eſt illud, quod annexum eſt ex Eccleſiæ decreto ſuſceptioni Ordinis ſacri, per quem immutabiliter dedicatur quis ſtatui Eccleſiaſtico; & illud quod continetur profeſſione Religionis approbatæ, ita habetur *c. unico de Voto, & voti redemptione in 6.*

Simplex eſt omne aliud votum, etiamſi perpetuum ſit; quale eſt etiam profeſſio Religionis non approbatæ.

Votum autem ſolemne, & ſimplex ejuſdem materiæ, non differunt, niſi per legem Eccleſiaſticam; decernentem illo matrimonium dirimi, non iſto. Nam videtur deſumi *ex c. unico de Voto in 6.* ubi Bonifacius VIII. conſultus ab Epiſcopo Bituricenſi. Quod votum debeat dici ſolemne, & ad dirimendum matrimonium efficax; reſpondit hoc modo: Nos attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa, &c. Declarandum duximus, illud ſolùm votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per poſſeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per ſedem Apoſtolicam approbatis. *Vide fusè hæc tractata apud Joan. Malderum, Tract. 19. c. 5. dub. 3. de Juſtitia, & Religione.*

Materia.

D. Thom. ſupra art. 2. doctrina eſt, quam tradit *Malderus loco alleg.* Votum neque eſſe de malis; quæ enim Deo diſplicent, potius ei minamur, quam promittamus; neque etiam de rebus indifferentibus, quia nemini promittimus, quod ei non eſt gratum, ſed adjaphorum, ſive fiat, ſive non fiat: neque etiam de abſolutè neceſſariis, aut impoſſibilibus, quia votum dicit promiſſionem voluntariam, & per promiſſionem rei ſimpliciter neceſſariæ nihil accedit promiſſario, cùm tamen natura promiſſionis ſit, ut per illam aliquid ei quodammodo accedat: ſtulta ergo eſt hujuſmodi promiſſio.

Debet etiam promiſſio eſſe obligatoria: atqui nemo poteſt obligari ad impoſſibile; debet ergo eſſe de re poſſibili.

Superſunt igitur illa bona, quæ non habent abſolutam neceſſitatem. Hæc iterùm ſunt in duplici genere. Quædam enim habent neceſſitatem finis, quia ſine eis non eſt ſalus. Hæc, inquit, D. Thomas, non cadunt ſub votum quatenus neceſſaria, ſed quatenùs voluntariè ab homine fiunt. Alia ne finis quidem neceſſitatem habent, quæ ſimpliciter ſunt materia voti, quando Deo ſunt gratiora quàm oppoſita, à quibus ad illa aſcenditur. Itaque illa, quæ ſunt ſupererogationis, atque adeò melioris boni maximè cadunt ſub votum.

Patet ergo, omnia ea ſub votum cadere, quæ Deo ſunt gratiora, quàm eorum oppoſita: qualia ſunt omnia opera conſilii, ſive conſiſtant in actione poſitiva, ſive in omiſſione aliqua. Poſſunt nihilominus etiam laudabiliter, quamvis non tam propriè, Deo voveri aliqua, ad quæ præcepto naturali, vel poſitivo adſtringimur, & per tale votum novum vinculum induci. Colligitur ex *D. Thoma q. 88. art.* 2. ubi dicit, ea opera, ſine quibus ſalutem conſequi non poſſumus, cadere ſub votum, quatenus voluntariè fiunt.

Idem expreſsè docet *Durand. in 4. diſt. 38. q. 4. n. 6.* ubi ſic ait: Bonum neceſſarium, ad quod obligamur ex alterius auctoritate, non pertinet propriè ad votum, cujus obligatio eſt ex mera voluntate. Veruntamen quia idem poteſt obligari pluribus obligationibus, ideò nihil prohibet, quin ad illud, ad quod obligamur per præceptum ex alterius auctoritate, obligemur etiam per votum ex propria voluntate, unde firmiter tenendum eſt, quòd vovens continentiam, & committens fornicationem, peccat dupliciter, videlicet peccato fornicationis, & fractione voti. Idem tenet *Richardus*, & cæteri Doctores.

* Dignitas, et Præstantia.

Votum eſt actus religionis, quando fit Deo, vel Sanctis: Ideò enim promittimus, ut eos honoremus, cùm ad ipſos nulla inde utilitas proveniat; & obſequia noſtra deferamus, noſtramque ſervitutem teſtemur, ac etiam proteſtemur, nos ad Deum tanquam auxiliatorem, & adjutorem potentiſſimum confugere, qui rerum omnium & cognitionem, & providentiam habeat, & quem etiam in Sanctis ſuis hoc modo agnoſcimus, veneramurque.

Votum autem factum Deo cum opinione cultus de re non præcepta, laudabile eſſe, ac meritorium, contra hæreticos noſtri temporis confirmant Scripturę, quæ ad hoc hortantur.

Pſal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera: terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum, &c. Ubi etiam ponitur cauſa, cur ei meritò vovere, & vota reddere debeamus, nempe quia terribilis eſt, & vitæ, neciſque in omnes ſummum jus habet.

Iſa. 9 Cognoſcent Ægyptii (id eſt, gentes converſæ) Dominum, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.

Deut. 23. Si votum voveris, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris, ubi apertè de voto rei liberæ non præceptæ.

Obligatio, et Valor.

Vota non obligare, docuit *Vvicleſ. apud Vvaldenſem Tom. 3. tit. 9. c. 75. Lutherus in Judicio ſuo de Votis Monaſticis. Zuvingl. Tom. 2. c. de Votis.*

Sed arctiſſimam voti obligationem probant Scripturæ teſtimonia jam allata, in quibus reddendi vocabulum debitum oſtendit, quod etiam Gentiles agnoverunt, quando eos, qui voviſſent, voti reos vocabant, donec ſolviſſent; ſi autem non ſolvebant, voti damnatos appellabant. Neque enim Deus eſt, cui impunè poſſit illudi, ut ſunt illi, de quibus *Baruch* 6. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit, neque hoc requirunt.

Num. 30. Legimus: Si quis virorum votum Deo voverit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit.

Ambroſ. lib. 9. ad c. 20. Lucæ, ſic ait: Quàm gravia vincula promittere Deo, & non ſolvere!

Baſilius q. 14. in fusè explicatis. Votifragos dicit eſſe ſacrilegii reos, in eos quadrare illud: Si in Deum quis peccaverit, quis orabit pro ipſo?

S. Greg. Thaumaturgus in Eccl. c. 5. Pollicitatio, inquit, vota facta finem per opus accipiat. Eſt hoc ſtultorum proprium, ut rejectitii ſint. Ac tu promiſſi veritatem præſta, ſciens longè tibi ſatius eſſe non vovere, nec facturum aliquid polliceri, quàm poſt conceptum votum id relinquere.

S. Ambroſ. ad virginem devotam. Devoviſti animam tuam ad deſtruenda omnia, quæ ſunt hujus ſeculi; quid autem quæris ſæculum, cui renuntiaſti? Reverti vis ad vomitum tuum, ſicut canis, aut velut ſus lota iterùm in volutationem, ſicut ſcriptum eſt, dicente Apoſtolo. Si quæ deſtruxi, iterùm reædificabo, prævaricatorem legis me conſtituo.

Idem ad virginem lapſam, c. 5. Virgo quæ ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, jam nupſit, jam immortali juncta eſt viro. Etiamſi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita eſt, quid de illa dicendum eſt, quæ occulta, & furtiva turpitudine conſtupratur, & fingit ſe eſſe, quod non eſt: Habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu, & in aſpectu.

S. Chryſoſt. exponens verba illa *Pſ.* 49. Et redde altiſſimo vota tua. Hic dicit ſupplicationes, ut in ratione aſſiduò perſeveremus, & quæ profeſſi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchrè autem dixit, redde: poſt promiſſionem enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium ut debitum maximum. Tu ergo, ſive promittas eleemoſynam, ſive pudicam vitam, ſive aliquid aliud tale, ad id exſolvendum feſtina.

S. Bernard. tr. de præcepto, & diſpenſatione. Benedicti regula omnibus proponitur, imponitur nulli; prodeſt ſi devotè ſuſcipitur: non tamen ſi non ſuſcipitur obeſt: Hoc enim voluntarium, non neceſſarium. Attamen hoc, quod dico voluntarium, ſi quis ex propria voluntate ſemel admiſerit, & promiſerit tenendum, profectò in neceſſarium ſibi eſſe convertit, nec tam liberum habet, quod ante non ſuſcipere liberum habuit. Itaque quod ex voluntate ſuſcepit, neceſſitate tenebit, quia omnino neceſſe eſt, eum reddere vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. *Pſ.* 65. & ex ore ſuo aut condemnari jam oportet, aut juſtificari. Cæterùm felix, ut quidam Sanctorum ait neceſſitas, quæ cogit in melius.

Denique quantus ſit hujus obligationis nexus, videre eſt ex punitione eorum, qui ob vota violata, & non reddita, Deo pœnas dederunt. ☞ *De quibus infra Titulo particulari.*

Qui Possint Vovere?

Ubi & de Votorum irritatione.

Omiſſis illis, qui omnino voti incapaces ſunt, propter defectum rationis, qua deliberare poſſint, ut voti natura poſtulat, quales ſunt amentes, infantes, ebrii: Septem ferè ſunt hominum genera, quæ in votis ſuis multùm impediuntur ex duplici capite; vel quia alteri ſunt ſubjecti, & obnoxii, vel quia non præſumuntur ſufficientem habere rationis uſum, videlicet Religioſi, conjux, præſertim uxor, Epiſcopi, Clerici ſæculares, ſervi, filiifamilias, & pueri. Pauca de ſingulis annotabimus.

Poteſt invito ſuperiore Religioſus vovere, tranſitum ad religionem ſtrictiorem, ad quam de jure, petita, & non obtenta facultate, poterat tranſire. *c. Virgines* 20. *q.* 4. & *Gratian.*

Poſſunt etiam Regulares licitè quædam vovere in quibus ſubſunt ſuis Prælatis: quia intelligunt tacitè eam conditionem, ſi Prælatus conſentiat, aut non repugnet; quo caſu votum eorum validum eſt, poſita ejuſmodi conditione, ita *Divus Thom. & Cajetanus.*

Etiam Prælati Regularium in votis ſuis, ſi talia ſint, ut impediant, aut dubitetur, utrùm impediant eorum officium, pendent à voluntate Epiſcoporum; vel ſi exempti ſunt, aliorum ſuorum Superiorum. Colligitur *ex c. Abbatis* 18. *q.* 2. quod eſt Concilii Aurelianenſis.

Vota omnia impuberum (id eſt, marium uſque ad annum 14. expletum, fœminarum uſque ad 12. expletum) in irritum revocari poſſunt à patre. Colligunt id DD. *ex c.* 14. *Mulier* 32. *quæſt. 2. & ex c. 1. de Regularibus in 6. & c. Ad noſtram* 8. *extrav. eodem.* Eſtque communis ſententia. Idem dicendum de tutore, qui pupillo eſt loco patris. Mater tamen non poteſt, niſi mortuo patre ſit loco tutoris; quia non ipſa, ſed tutor habet patriam poteſtatem.

Vota Puberum, (id eſt, quæ nuncupata ſunt poſt annum 14. A impletum in mare, & 22. in femina) non poſſunt à parentibus irrita reddi, niſi quatenus diſciplinæ familiæ, & patriæ poteſtati obſunt. Horum enim vota ſolùm ſubſunt parentibus, ratione materiæ, non ratione dominii in voluntatem.

Itaque votum Religionis caſtitatis, ſacrorum Ordinum, certarum precum, confeſſionis, communionis, & ſimilia irritari non poſſunt.

Secus de votis jejuniorum præſertim multorum, peregrinationum, & ſimilibus; quia hæc ad gubernationem domeſticam pertinent.

Realia etiam irritari poſſunt (niſi fortè habeant bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia) non ſolùm à parente, ſed etiam à curatore uſque ad vigeſimum quintum annum ætatis, quia ante illud tempus non habent adminiſtrationem. *Sylveſt. Votum* 4. *q.* 1. *Navarrum* 64. *Lopez c.*4. *l.* & alii.

Secus tamen eſt de votis realibus relatis in tempus, quo erunt ſui juris: quia non officiunt adminiſtrationi curatorum.

Vota ſervorum, ſeu mancipiorum irritari poſſunt à Domino, quatenus obſequio ejus poſſunt eſſe impedimento, ut votum peregrinandi recitandi horas Canonicas.

B Omnia vota uxoris à Marito poſſunt irritari, quæ vel juri ejus incommodant, vel ad familiæ adminiſtrationem pertinent. Ita expreſsè docet *Angelus, Votum* 2. *numero* 8. *Sylveſt. Votum* 5. *num.* 2. *&* 3. *Navar. c.*12. *Enchiridii, n.*64. *citans Angelum, & Sylveſt, & Antonius p.*3. *tit.* 1. *c.* 22. *in initio* paſſim, & Canoniſtæ.

Non poterit autem vir irritare vota uxoris de rebus præceptis, ut de non omittendo ſacro diebus feſtis, de non mentiendo, &c. neque ea, quorum exſecutio refertur ad tempus ſoluti matrimonii; qui nullo modo ipſius juri accommodant; neque vota certarum precum, aut eleemoſynarum de rebus, quarum integram habet adminiſtrationem. Poteſt tamen vota jejuniorum, præſertim quibus poſſet fieri ineptior ad uſum matrimonii, peregrinationum, humi cubationum, habitus ſimplicioris, &c.

* VOTORUM COMMUTATIO.

C Quiſque poteſt ſua auctoritate votum ſuum commutare in id, quod conſtat eſſe melius. Eſt communior ſententia DD. ita enim ſentit. *Major in* 4. *diſt.* 38. *q.* 3. *Angelus Votum* 4. *q.* 2. *Cajet. q.*88. *art.* 12. *Sot. lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *Covar. in cap. Quamvis tactum p.* 1. *§.* 3. *n.* 4. *Navar. c.* 12. *n.* 71.

Melius hîc dico, non quod ex genere ſuo eſt præſtantius, ſed quod omnibus expenſis Deo gratius eſt nos facere. Etſi enim per ſe, & ex ſuo genere melior ſit oratio, quàm jejunium, & eleemoſyna, quàm carnis afflictio per cilicium: tamen, qui vovit jejunium, vel cilicium, non poteſt ſuo arbitrio iſta in orationem aliquam, vel eleemoſynam commutare: quia non ſemper Deo gratius eſt nos id facere, quod per ſe eſt excellentius; ſed quod pro tempore, loco & diſpoſitione noſtra magis convenit ad ſalutem noſtram à nobis fieri.

Omnia vota ante emiſſa commutari poſſunt propria auctoritate in vota Religionis, quæ in profeſſione fiunt, ſcilicet in votum paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuæ. Eſt communis DD. *ex c. Scripturæ, de Voto*, ubi Alexander III. ait: Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam Religionis obſervantiam noſcitur commutare.

D Quicunque habet poteſtatem diſpenſandi ordinariam, vel delegatam; habet etiam poteſtatem commutandi; non tamen è contrario.

Verùm quod ad modum commutandi attinet; qui ſolùm habet poteſtatem commutandi, debet commutare in æquale, vel penè æquale: ſi enim notabiliter eſſet minus, admiſceretur diſpenſatio. Quanquam valdè probabile ſit, privilegium commutandi ita intelligendum, ut poſſit fieri in minus. Nam ut fiat inæquale, multorum ſententia non requiritur privilegium. Itaque parva diſpenſatio admiſcetur. Æquale voto, quod æquè gratum eſt Deo à te hìc, & nunc præſtari. Ita *Leſſius ſuprà c.*20.

DISPENSATIO.

Diſpenſare in voto nihil eſt aliud, quàm relaxare voti vinculum, & tollere ejus obligationem, condemnando nomine Dei debitum, quod erga Deum vovendo contraxiſti; ut inſinuat *Cajet. art.*12.

Eſſe autem in Eccleſia hanc poteſtatem diſpenſandi in debitis erga Deum contractis, conſtat ex perpetuò Eccleſiæ uſu, E quem confirmat factum Apoſtoli 2. *ad Corinth.*2. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti. Ubi Apoſtolus ſignificat ſe condonaſſe debitum pœnæ contractum ex culpa; quod Eccleſia facit conferendo indulgentias. Nec dubium, quin Deus hanc donationem ratam habuerit. Unde meritò colligunt DD. etiam in aliis debitis, ortis ex voto, vel juramento, Eccleſiæ Prælatos nomine Dei condonare poſſe; ita colligit *D. Thom. art.*12.

Matthæi 16. Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, *& c.*18. Amen dico vobis, quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; quæ verba, ſicut generalia ſunt, ita intelligi debent de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere poteſt, & aliquando ſolvi expedit. Hæc autem poteſtas jure ordinario competit ſolis Prelatis habentibus juriſdictionem in foro externo.

Epiſcopi jure ordinario poſſunt diſpenſare in omnibus votis ſuorum ſubditorum, exceptis iis, quæ ſummo Pontifici ſunt reſervata, eſt communis ſententia DD.

Pontifici autem reſervantur hæc quinque vota; caſtitatis F perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum Compoſtellam, & ultramarinum, ſeu in terram ſanctam. Probari poteſt *Extravag. etſi Dominici*, ubi Sixtus IV. inter cætera Sedi Apoſtolicæ horum quinque votorum abſolutionem reſervat, & excommunicat eos, qui ab his præſumpſerint abſolvere.

Summus quoque Pontifex, ſi juſta cauſa ſubſit, poteſt relaxare votum ſolemne caſtitatis Religioſorum, & concedere, ut matrimonium contrahant, ita ſentiunt Canoniſtæ, *teſte Navarro capite* 12. *nu.*77. & ferè communiter Theologi. Uti & poteſt in voto ſolemni Clericorum diſpenſare. Quia ut fide digni Authores referunt, Pontifex ſæpè uſus eſt hac poteſtate,

Primò, cum Nicolao Juſtiniano Monacho profeſſo diſpenſavit Alexander III. ut poſſet uxorem ducere, ne familia tam illuſtris extingueretur, ex qua ſuſceptis ſex filiis, & tribus filiabus ad Monaſterium rediit, miraculis poſteà clarus. *In vita S. Laurentii Juſtiniani, & apud Volater. lib.*4. *hiſt.*

Secundò, cum rege Aragoniæ, qui cum eſſet Monachus profeſſus, & ejus pater ſine liberis obiiſſet, ſolutus eſt votis G Monaſticis, ut uxorem duceret. *Teſte Paludano diſt.*38. *q.*4. *art.*4. *concl.*13. *& Annal. Hiſpaniæ*.

Tertiò, cum Conſtantia filia regis Siciliæ Monialis profeſſa, ut nuberet Henrico VI. *Platina in Cæleſtino III.* Alios brevitatis gratia omitto.

* VOTI USURPATIO. SUSCEPTIO.
NUNCUPATIO.

Quamvis in nulla unquam lege præceptum fuerit vovere aliquid Deo, ſed liberum ſemper relictum ſit, juxta illud *Deut.*23. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. In omni tamen lege id ſemper licitum non ſolùm, ſed & maximè laudabile habitum fuit, cùm ſit actus Religionis, quæ inter morales virtutes eſt præſtantiſſima. Quod ita ſe habere, exemplis probari non obſcurè poteſt.

IN LEGE NATURÆ.

JACOB poſt oſtenſam ſibi à Domino viſionem ſcalæ *Geneſ. capite* 28. poſtquam lapidem, quem capiti ſuo ſuppoſuerat, in titulum erexiſſet, vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus H mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Quaſi dicat, Si Deus mihi dederit victum, veſtitum, ac felicem reditum in patriam, ego ipſi voveo, ac promitto, quod deinceps eum colam ſpeciali, & majori cultu, quàm anteà coluerim; nimirum quod dabo ei decimas, tum ad ſacrificia, tum ad alium quemlibet ejus cultum; quodque poſt meum ex Meſopotamia reditum, locum hunc Deo quaſi aram, & templum, aut ſacellum dicabo: ita enim votum ſuum in ſequentibus explicat, ut rectè advertit *Cajetan.*

Hinc contra hæreticos noſtri temporis patet, piè, & religioſè voveri poſſe opus, etiam quod eſt præceptum à Deo: tale enim eſt dare decimas, quod vovet hìc Jacob.

IN LEGE MOSAICA.

A

VOTA VERA SUSCEPTA.

Rex Arad pugnavit contra Iſrael, & victor exiſtens tulit ex eo prædam: At Iſrael voto ſe obligavit Domino, & poſteà vicit eum. *Num.*21.

Pugnaturus Jephte contra filios Amon, votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Amon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit, eum holocauſtum offeram Domino: Unde poſteà flens filiam, quæ prima ei occurrit, immolare coactus eſt. *Jud.*11.

Oravit Anna Dominum flens largiter, & votum vovit, dicens: Domine exercituum, ſi dederis mihi ſexum virilem, dabo eum Domino. 1. *Reg.*15.

Lætatus eſt Populus, cùm vota ſponte promitteret, quia cor de toto offerebant ea Domino, ſed & David rex lætatus eſt. 1. *Par.*29.

ASA rex Juda, ea, quæ voverat pater ſuus, obtulit in domum Domini, argentum, aurum, vaſorumque diverſam ſupellectilem. 2. *Par.*11.

B Filii Iſrael, & Juda obtulerunt decimas, quas voverant Domino. 2. *Par.*31.

Rex Artaxerxes præcepit Eſdræ, & populo, ut ferrent munera Domino Deo Iſrael, quæ voverat. 3. *Eſd.*8.

Omnis Populus poſt victoriam venit in Jeruſalem adorare Dominum, & obtulerunt omnes holocauſta, vota, & promiſſiones ſuas. *Judith.*16.

Vota mea reddam in conſpectu. *Pſ.*21. 60. 115.

Votum vovit Deo Jacob. *Pſal.*131. Vovete, & reddite Domino *Pſal.*75.

Viri, qui erant in navi, ubi fuit Jonas Propheta, timuerunt timore magno, & immolaverunt hoſtias Domino, & voverunt vota. Et Jonas ait: Quæcunque vovi, reddam pro ſalute mea Domino. *Joan.*1. *&* 2.

HELIODORUS volens ærarium ſpoliare, & depoſita de templo auferre, fuit virtute divina graviter flagellatus. Deinde ſanatus per orationem Oniæ hoſtia Deo oblata, & votis magnis promiſſis, repedavit ad regem. 2. *Mac.*1.

FRAUDULENTA.

ABSALON occupaturus regnum patris ſui, quò inſidias ſuas C ſecurius diſponeret, & inſcio patre favorem ſibi populi conciliaret, dixit ſe voto obſtrictum Domino, ejuſque ſolvendi cauſa in Hebron pergere oportere. Dumque aſſenſum præbente Davide eò perrexiſſet, miſit exploratores per univerſam terram illam, qui dicerent, ſtatim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite, Regnabit Abſalon in Hebron. 2. *Reg. c.*15.

EXTORTA, ET VANA.

Poſtquam percuſſus fuit à Deo Antiochus graviſſima, & inſanabili plaga, pollicitus eſt Judæis, templo Jeroſolymorum mirabilia ſe facturum, ſed nihil ei profuit, quia non ex devotione, ſed timore vovebat. 2. *Mach.*9.

* IN LEGE EVANGELICA.
Qui voverint, & Quid?
VIRGINITATEM, CASTITATEM.

Conſentiunt Theologi, Virginem virginum ante conceptionem filii ſui, abſolutum caſtitatis votum emiſiſſe. Ideòque Angelo conceptionem annuncianti reſpondiſſe, Quomodo D fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quaſi diceret, per votum mihi jam non licet virum cognoſcere, neque id in mea poſitum eſt poteſtate. Unde indicavit illis verbis, ait *Bernard. ſerm.*4. *de Aſſumpt.* immobile propoſitum caſtitatis. Et alio loco dicit, eam de nuntio dubitaſſe, ſed modum inquiſiviſſe, qui non eſſet contrarius voto ipſius. Et colligit ex iiſdem verbis votum *S. Aug. lib. de ſancta Virgin. c.*4. & indicat *ſerm.*14. *de Nativit.*

Tenent plures, quòd licet in lege veteri plerique caſtitatem ſervaverint, ut Maria ſoror Moyſis, Daniel, Elias, & alii, tamen Deiparam hoc illius votum primam emiſiſſe. Saltem nullius alterius ante hanc Scriptura meminit. *Vide Suarez Tom.*2. *in* 3. *p. q.*28. *art.* 4. *diſp.* 6. *ſect.* 3.

Laudat Chriſtus illud genus Eunuchorum, qui propter regnum cœlorum ſeipſos caſtraverunt. *Matth.*19.

Caſtitati præmium divina decernit ſcriptura, ſingulare autem virginum caſtitati: etenim Qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſed virgines permanſerunt, ſine macula ante Thronum Dei aſſiſtunt, cantantque novum Canticum coram Deo, & Agno, & ſequuntur Agnum, quocunque ierit.

HISTORICA.

GREGORIUS Nazianzenus, cùm in Parthenio navigaret pe- E lago, tempore procelloſo, ac navigatione jactaretur adverſa, ſubitò tempeſtas adeò violenta eſt exorta, ut in vitæ etiam veniret diſcrimen: caligo enim nequaquam procellis tolerabilior, tam pontum quàm ætherem abſcondebat: cùmque omnes corporalem deplorarent mortem, ipſe de animæ ſollicitus erat interitu, nondum enim baptiſmate ſignatus erat. Mors igitur, quæ ex aqua imminebat, ſaltem illi per aquam contulit. Quid igitur facit magnus ille vir, quique etiam ante regenerationem ſeſe ad veritatem informat? Veſtem lacerat, tantiſque clamoribus, & querelis vectores omnes exterret, ut nemo eſſet, qui non, omni ſuiipſius cura abacta, illius luctui ſocium ſe adjungeret. Dei enim miracula recenſuit, quæ in Ægypto, & in deſerto, tam in pelago quàm in terra perpetraverat, veluti maris rubri diviſionem, & mox reductionem, quemadmodum etiam ex petra fontem profudiſſet, & aquam amaram edulcaſſet, &c. promittens obiter, ſi ex pelagi ſervaretur periculo, & baptiſmatis remiſſionem conſequeretur, quòd ſe ſalvanti eſſet dedicaturus. Precibus igitur illum flectit, qui alioqui propitius eſſe, & culpam ob naturæ manſuetudinem remittere ſolet; confeſtim namque mare fluctuare ceſſavit, & tempeſtas in ſerenitatem eſt converſa, ac pelagus, quod euſque vehementer ſævierat, F quievit. Cùm autem parentes conſulerent, ac neceſſe eſſe dicerent, ut ſe tam publicis quàm domeſticis immiſceret malis: (ita enim rerum materialium ſplendorem voco) ipſe ſibi ipſi conſuluit, ut ſe offerret Deo, quemadmodum dum periclitaretur voverat, ac ſe amando ſegregaret, & ſoli puriſſimo addiceret, ac ſacris incumberet libris, ut inde veritatis eliceret ſplendorem. Quod conſilium etiam reipſa adimplevit: elegit enim, ut ſolitarius pro mundano, & inops pro quæſtuoſo fieret. *In vita ejus à Greg. Presbytero Græcè conſcripta.*

Cùm S. Rictrudis Abbatiſſa Marcenenſis, conjuge orbata, ad ſecundas urgeretur nuptias, conſilio uſa ſanctiſſimi viri Amandi, regiæ majeſtati, & optimatibus dignum apparuit convivium. In eo prandio ſciſcitatur Regem, an liceat ſibi in ſuis ædibus agere, quod velit? Rex annuit, putans quod convivas, ut fieri ſolet, ſumpto poculo ad potandum invitaret. Illa verò virili animo velum profert, à Beato Amando Pontifice conſecratum, & capiti ſuo imponit. Quo facto, ſibi, ac filiabus Monaſterium martianas deligit, Beato Amando non ſolùm conſentiente, ſed etiam inter Regem, & ipſam, pacem conciliante. Ubi uſque G ad annum ætatis ſeptuageſimum quartum, omnium bonorum operum ſe exemplum præbuit, & ut filia lucis ſemper ambulavit in luce, cujus fructus eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate. *Joan. Molan. In Matalibus SS. Belgii* 11. *Maii.*

CHRISTIANAM RELIGIONEM.

CLODOVEUS Francorum Rex bellum cum Germanis habuit. Factum eſt autem, ut confligente utroque exercitu Franci vehementer cæſi valdè inciperent deficere. Quod ubi Rex Clodoveus animadvertit, elevatis oculis in cœlum, cum lachrymis oravit dicens: Domine Jeſu Chriſte, quem uxor mea prædicat eſſe filium Dei, ſi dederis mihi victoriam de hoſtibus meis, in te credam, & baptiſma in tuo nomine ſuſcipiam. Cùmque hæc orans diceret, Alemanni mox convertuntur in fugam, qui ubi Regem ſuum viderunt occiſum à Francis, Clodoveo ſe ſubiiciunt omnes, dicentes: Ne ampliùs perſequaris populum, oramus, jam tui ſumus, & tibi fideliter perpetuò ſerviemus. At ille bello prohibito Alemannos in deditionem accepit, & H tributum eiſdem impoſuit. *Joan. Trith. de Orig. Francorum Avent. lib.*3. *Annal. Bojor.*

HÆRESIS EXTIRPATIONEM.

HENRICUS quoque Rex Romanorum, Hungaris Franciam, Alſatiam, Alemanniam, Saxoniamque depopulantibus, vovens Deo pro adipiſcenda victoria ſe hæreſim ſimoniacam de regno ſuo eradicaturum, eos uſque ad internecionem penè delevit. *Sigebert. in Chron.*

VITAM MONASTICAM.
TAM PROPRIAM, QUAM ALIORUM.

OSUVIUS Northanimbrorum Rex, cùm acerbas, & intolerabiles pateretur irruptiones à Panda Merciorum rege, qui fratrem ejus occiderat, ad ultimum neceſſitate cogente, promiſit ſe ei innumera, & majora, quàm credi poteſt, ornamenta regia, vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodo ille domum rediret, & provincias regni ejus uſque ad internecionem

vaſtare deſineret. Cùmque Rex perfidus nullatenus precibus illius aſſenſum præberet, qui totam ejus gentem à parvo uſque ad magnum delere, atque exterminare decreverat, reſpexit ille ad divinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica poſſet eripi: votoque ſe obligans. Si paganus, inquit, neſcit accipere noſtra donaria, offeramus ei, qui novit, Domino Deo noſtro. Vovit ergo, quòd ſi victor exiſteret, filiam ſuam Domino ſacra virginitate dicandam offerret, ſimulque duodecim poſſeſſiones prædiorum ad conſtruenda Monaſteria donaret, & ſic cum pauciſſimo exercitu ſe certamini dedit. Denique fertur, quod tricies majorem pagani habuerint exercitum: ſiquidem ipſi triginta legiones ducibus nobiliſſimis inſtructas in bello habuere. Quibus Oſuvinus Rex, cum Alchfrido filio, perparvum, ut dixi, habens exercitum, ſed Chriſto duce confiſus accurrit. Inito ergo certamine fugati ſunt, & cæſi pagani duces Regis triginta, & qui ad auxilium venerant penè omnes interfecti. Tunc Rex Oſuvius, juxta quod Domino voverat, pro collata victoria gratias Deo referens dedit filiam ſuam Elfledam, quæ vix dum unius anni ætatem impleverat, perpetua ei virginitate conſecrandam, donatis inſuper duodecim poſſeſſiunculis terrarum, in quibus ablato ſtudio militiæ terreſtris, ad exercendam militiam cœleſtem, ſupplicandumque pro pace gentis ejus æterna, devotionis ſedulæ Monachorum locus, facultaſque ſuppeteret, &c. *Beda l.3. hiſt. Gentis Angl. c.24.*

De Baſilio Imperatore hic attexendum ex Aquitanica hiſtoria è Pithæi bibliotheca in lucem prodita, quod ſic ſe habet: Anno 886. rebellantes Bulgari Græciam nimis exaſperaverunt, & Baſilius Imp. ſuper eos nimis irritatus, voto ſe obligavit Domino; Monachum fieri, ſi Græcis eos ſubderet, & per annos quindecim, cum hoſte ſuper eos laborans, ad ultimum Regibus eorum proſtratis Samuele, & Aaron, omnem terram eorum obtinuit, & fortiſſimas civitates confregit, & Græcos animi præſidia contra eos ubique ordinavit, populumque Bulgarorum maxima ex parte in Græciam captavit; & ſicut voto promiſerat, habitum monaſticum Græca figura indutus in reliquum eſt, omni vitæ ſuæ tempore à concubitu, & carnibus abſtinens, & imperiali ſchemate extrinſecùs circumdabatur. *Baro. to.19. Annal. ad an. Dom. 886. 8 ex Curopal.*

Monasterii Constructionem.

Conſueverat Rodulphus Romanorum Rex ſemper ſexta feria, quæ dies eſt veneris, paſſioni Chriſti dicatus, cum hoſte manus conſerere: Nam ſanctam crucem religioſiſſimè venerabatur. Votum itaque Deo fecit, ſi victoria potiretur, ſeſe in honorem S. Crucis novum fundaturum, atque extructurum cœnobium. Ordinatis itaque, cum Suevis, Stiriis, Carinthiis, Hungaris & Cumanis, Ottacarum aggreditur: primùmque caſtris exuit, dein in fugam vertit: poſtremò à Stirio quodam nobili, cui Rex fratrem priùs iniquè decollaverat, inter confertiſſimas acies eſt miſerabiliter occiſus, ac omnibus rebus ſpoliatus, nudus in Latha oppidum Auſtriæ delatus, ubi expiravit anno ſalutis noſtræ 1279. Sunt in exercitu Ottacari quatuordecim millia virorum deſiderati, præter captivos. Rex votum ſolvit victoria potitus, ac in Tulna Auſtriæ oppido cœnobium Monalium (quod hodie durat) extrui in honorem S. Crucis fecit, donariiſque, ac cenſibus dotavit, Anno Chriſti 1280. *Cuſp. de Cæſarib. Rom. in Rodulph.*

☞ *Huc refer ſuperiora de Voto Virginitatis.*

Peregrinationem ad Loca Sacra

☞ *Vide Locum de Peregrinatione.*

Æneas Sylvius, qui poſteà Pius II. Pontifex fuit, Legatus ab Eugenio IV. in Scotiam miſſus, & gravi jactatus tempeſtate, ex votis perſolvendis, quæ inter fluctuum æſtus Virgini matri nuncupaverat, initium ejus morbi contraxit, qui dolore articulorum permanſit ad vitæ exitum, glacie decem millibus paſſum nudis pedibus ad fanum uſque calcata, ut redire in oppidum non aliter, quam lectica potuerit. *Joan. Anton. Campanus in ejus vita.*

Templum.

Narses Eunuchus contra Totilam regem Gothorum ex Illyrico movens, cùm omnibus copiis Ravennam pervenit, in tranſitu verò ad Inſulam, quæ erat in æſtuario, nomine Rivoaltum adiit, atque ibi Deum precatus, duo templa ſe facturum, ſi ſe hujus victoriæ feciſſet compotem, vovit. Et quidem unum S. Theodoro martyri, alterum S. Geminiano confeſſori Mutinenſi quondam Antiſtiti, ædificandum jam voti damnatus curavit: quorum illud hodie Venetiis in æde ſancti Marci includitur, alterum è regione inviſitur in foro. *Sigon. l.10. Imp. Occident.*

Anno Dom. 543. Rex Childebertus inclytus Francorum Princeps comparato exercitu Hiſpanias ſuo addere imperio volebat. Audita verò S. Aviti fama, & quia ſepulchrum ejus exigui parietes vallarent: cœleſti Regi integra devotione votum nuncupavit, ſi incolumis in regnum ſuum ſancti viri interceſſione reverteretur, ampliſſimam ſe ſuper ejus monumentum baſilicam conditurum. Itaque in itinere multa quidem ab hoſtibus perpeſſus eſt; ſed quoties ei ſtructæ eſſent inſidiæ, toties ſancti viri interceſſione ab impendentibus periculis liberatus eſt, atque ita ſoſpes, & triumphans rediit in regnum ſuum. Tunc verò inſignem ædem, ut erat pollicitus, in loco ſupradicto extruendam curavit. Rurſus idem Rex antequam Hiſpanias ingrederetur, ad ſanctum virum Euſichium, Eremitam ſenem, venit. Cùmque ei quinquaginta aureos obtuliſſet, ait ſenex: Quid mihi iſta profers? aliis, qui ea pauperibus largiantur, attribue; mihi autem hæc neceſſaria non ſunt, ſufficit mihi, ut pro meis peccatis Dominum merear deprecari. Et adjecit: Vade, & victoriam obtinebis, & quod volueris, ages. Tunc Rex aurum pauperibus erogans vovit, ut ſi eum Dominus cum ſua gratia de itinere illo reduceret, in honorem Dei Baſilicam eo loco ædificaret, in quo ſenis membra quieſcerent; quod poſteà adimplevit. *Ex act. S. Aviti Sur. tom.3. die 17. Junii.*

Equum.

Clodovæus Francorum rex, ad Chriſti fidem converſus, conſentientibus proceribus, bellum Veſtgothis intulit, non ſolùm quia terras Francorum occupaverant, ſed quia Arianæ perfidiæ aſſertores erant. Cùm in eo prælio ab hoſtibus urgeretur, S. Martino equum, cui inſidebat, vovit, ſi victor evaderet. Voti compos, promiſſum equum pretio centum aureorum repimere volens, cùm ille loco non moveretur, ducentos impendit: & equus confeſtim ducentem ſequutus eſt: Martinus, inquiebat Rex jocoſe, quantum video, auxiliator facilis, ſed mercator difficilis eſt. *Joan. Magn. l.16. c.2. & Sab. l.3. Enn.10. Crantzius in Suecia l.3. c.16. Vincent. l.22. c.13.*

Simillimum ei, quod Clodovæo accidit, contingit poſteà ſub Pipino Gallorum Rege: Nam quidam, nomine Vvillimarus, gravi infirmitate depreſſus voto promiſit oblaturum ſe equum Eccleſiæ B. Galli confeſſoris. Incolumitate recepta, voti immemor non perſolvit; verùm fortè fortuna, cùm Birthlonem virum nobilem comitaretur eques, ad B. Galli Eccleſiam pervenere. Recedentibus omnibus, equus Vvillimari ſubſtitit, neque à foribus Eccleſiæ ullis conatibus avelli potuit. Pudore tandem ductus Vvillimarus, dilatæque voti ſatisfactionis compunctus, aſtantibus omnibus rem aperuit, atque ita equum Eccleſiæ obtulit. *Vvalfrid. Strab. l.2. vitæ S. Galli c.6. apud Sur. Tom.5.*

Quibus Voverint.
Utputa Sanctis.

Cùm Luitptandus rex Longobardorum reliquias S. Auguſtini ex Sardinia, à Saracenis vaſtata, Papiam transferret: & in itinere ad villam quandam in Therdonenſi diœceſi currus ſubſtitiſſet, neque ulla vi, aut arte loco moveri poſſet, rex votum vovit, Si S. Auguſtinus ſua oſſa Ticinum ſineret vehi, ſe villam iſtam Sacerdotibus, & cultoribus ejus donaturum, Itaque ſtatim currus progredi cœpit. *Vincentius lib.23. c.148. Sigebertus meminit iſtius translationis, Anno Domini 721.*

Scribit Lopezius Gomara Hiſpanus de Ferdinando Corteſio, qui ad Indiæ Occidentalis inventionem multum contulit, quòd cùm is morbo quaſi deſperato puer laboraret, parentes eum voverunt duodecim Apoſtolis, ductaque ſortè exierit B. Petrus, cui ſolemnes quaſdam oblationes obtulerunt, aliaque ſacrificia. Atque ita puer hic ſervatus eſt, qui Divum hunc coluit, & maximis negotiis inde clarus evaſit. *Cardanus de rerum variet. lib.16. c.92.*

Quo Effectu.

Godefridus in expugnatione Romæ largo hauſtu vini febrem contraxit: qua non continuè, ſed per intervalla laboravit, donec audita expeditionis Hieroſolymitanæ fama, vovit ſe ejus comitem fore, ſi ſanitatem reciperet. Quo voto emiſſo, ſtatim vires recuperavit. *Malmesburienſis l.4. c.17.*

Anno per Chriſtum reparatæ ſalutis poſt 1556. multis ſanè, ac variis Lauretana ædes eſt nobilitata miraculis. Urbs Utina eſt Carnorum, magnitudine, ac nobilitate uni Aquilejæ

ſecunda: hæc maximum ſalutis diſcrimen virginis ope diſcuſſit. Anno M. D. LV. atrox peſtilentia Venetiæ fines, Carnoſque pervagata magnas edebat ubique ſtrages incolarum. Ergo primores civitatis Uticenſis, cùm ſerpere quotidiè malum, & jam adventare cernerent; conſilium à neceſſitate petunt; votoque publicè nuncupato, Lauretanam Virginem invocant, & civitatem ejus committunt fidei, tutelæque. Nec illa clientium ſuorum vota, ac preces fefellit. Biennio, quo graſſata eſt lues, cunctis circa oppidis morbo exhauſtis, (adeò præſens B. Mariæ tutela fuit) ſola Utina communis mali perſeveravit immunis. Uticenſis ergo civitas non in faciendis, quàm in exequendis votis religioſior, ſolemni ſupplicatione indicta Lauretum venit. Trecenti erant viri nobiles, quibus pulcherrima Chriſti Crucifixi effigies præferebatur, omnes linteati, omnes iiſdem inſignibus conſpicui, cum donis vel publicis, vel privatis, ad Lauretanam Ædem pariter procedebant. Limen ingreſſi, proſternere corpora certatim humi, & collachrymantes civitati ſuæ, ac ſuo quiſque privatim nomine ingentes Deo, Deiparæque grates agere cœperunt. Inde conſurgentes fraternè ſe invicem complexari, fletuque integrato, mutuis ſe perfundere lachrymis. Et inſignem à pietate ortam complorationem, par eorum, qui aderant, comploratio excepit, nullo ferè ſpectatorum in tam pio talium virorum fletu lachrymas tenente. Ad ultimum, intrant ſanctiſſimam cellam, Deiparaque Virgine enixè conſalutata, apud eam munera deponunt. In his votiva erat tabula egregiè picta cum titulo: Glorioſiſſimæ Virgini Lauretanæ ob ſervatam à peſtilentia Uticenſem civitatem, & agrum, Sacratiſſimi Crucifixi ſocietas poſuit, dedicavitque. Ann. ſal. M. D. LVI. *Ex traditione Laurent. ann. Lauret. Reiræ. P. Horat. Turſel. hiſtor. Laur. lib.3. cap.24. ann. Domin. 1555.*

Non ſolùm Lauretana Ædes illa populorum ſpectaculis, quàm Procerum præſentia celebrior extitit. Joannes Auſtriacus, vir Carolo Quinto Imperatore patre digniſſimus, nec paterna gloria, quàm ſua virtute clarior, anno ſuprà milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, qui Jubilæi celebritate inſignis extra urbem fuit, Lauretum voti cauſa perrexit: Is quinquennio ante adversùs Turcas navali prælio dimicaturus Lauretanæ Virgini voverat, ſi ſuperſtes ipſe partæ de barbaris victoriæ foret, Lauretum utique ad eam iturum. Cæterùm voti compotem publica negotia alia ex aliis morata erant, quo minùs ante id tempus potuiſſet fidem exſolvere. Itaque cùm Neapolim paulo ſolutiore animo tenuiſſet; non horror ſævientis hyemis, non publicæ, privatæque negotiorum curæ, non Procerum, populorumque preces flectere eum potuerunt, ut ne ſumma hyeme, itineribus glacie, ac nive obſitis, fluminibus paſſim turgentibus, Lauretum ad beatam Virginem iter intenderet: & horrida tempeſtas inſigniorem pietatem optimi Principis fecit, Recinetenſem portum equo prætergreſſus, ut procul Ædem Lauretanam conſpexit: venerabundus caput aperuit, ac Deiparam Virginem ſalutavit. Inde, velut alienato à ſui cura ad cœleſtis Reginæ venerationem animo, numquam neque imbris, neque cœli inclementia perpelli potuit, ut ſemel apertum operiret caput, adeò ſe, caputque ſuum beatæ Virgini devoverat, cujus præſidio ſe incolumem credebat eſſe. Poſtquam ad ſacram Ædem pervenit, totius anteactæ vitæ noxis confeſſione expiatis, grates beatæ Mariæ ingentes agit: protinus vota pro ſoluta ſatis magna pecunia cumulat dono. Comites inſuper & voce, & exemplo, ad parem pietatis laudem accendit. Voti, pietatiſque munere perfunctus Neapolim regreditur ingens Lauretanæ virginis deſiderium ſecum ferens. *Ex Annal. Lauret. ann. Dom. 1576. P. Horat. Turſel. l.4. hiſt. Laur. cap.24.*

Anno Dom. 749. cùm Princeps Pipinus Saxones, & Vveſtphalos debellans, potituſque victoria cum triumpho, contigit, ut cum exercitu ſuo multùm laſſo ad Coloniam Agrippinam reditum maturaret. Vveſtphali verò dolentes Chriſtianos eis dominari (licèt Deo auxiliante, triumphali gladio ipſius Pipini victi, profligati, & proſtrati ſuccubuiſſent) indignati valdè exercitum fortem nimis feſtinanter congregantes, denuò per compendia itinerum, & devia exercitum Chriſtianorum prævenientes, poſitis inſidiis multum hoſtiliter, & callidè propè Vverdam Pipinum cum ſuis Chriſticolis animoſè invadere, & bellum inſtaurare, & rurſus committere decreverunt. Quod inclytus princeps per ſuos exploratores percipiens, primò parum doluit, tum propter laſſitudinem exercitus ſui, tum propter defunctos, & ſauciatos; fiduciam tamen firmam habens in Deum, recordatuſque miraculorum ſanctiſſimi Suviberti, deſcendens de caballo ſuo, proſtratus in terram flexis genibus ſanctum Suvibertum devota mente invocans, auxilium & patrocinium implorans, vovit Deo, & ipſi ſancto Suviberto, quòd ſi is pro honore nominis Chriſtiani, à Chriſto ſibi, & exercitui ſuo, ſuis meritis, & precibus victoriam contra Paganos impetraret, & Chriſtianum populum protegeret, ut ſanum inde reduceret: ipſum in Vverda cum ſuis primatibus ſuppliciter peregrè viſitaret. Quo emiſſo voto ſtatim lux immenſa ſuper exercitum Chriſtianorum ſplendens non ſolùm Paganos exterruit, ſed & ferè excæcavit, pavorque ingens eos invaſit. Quod cernentes Pagani, timore valido perculſi, formidantes manum omnipotentis Dei Chriſtianorum ſuper eos ſævire, cœlumque ſuper eos ruere, conſilio celeriter inito, miſerunt duos Satrapas ad Pipinum, petentes, quæ ſunt pacis, eique ſubducentes, ac referentes conſtanti animo, quæ viderant, & eis contigerant, Pipinus verò cùm hoc audiſſet, intelligens hoc meritis ſancti Suviberti accidiſſe, lætus in terram cum ſuis Proceribus proſtratus, Deum adorans, & gratias devotè referens, receptis à Paganis pacis obſidibus, Vverdam cum ſuo exercitu humiliter intravit, diſcalceatuſque cum ſuis inclytis primoribus, & præcipuis Miniſtris ſepulchrum S. Suviberti regalibus muneribus, & oblationibus viſitans, benedixit Deum, & S. Suvibertum, qui abſque effuſione ſanguinis humani victoriam ſibi contra perfidos conſtitiſſet: & deinceps ſanctum Suvibertum in ſuum protectorem, & patronum, ac ſpecialem elegit Advocatum. *Luderus Epiſc. Monaſt. de reb. geſt. Pipini. in append. ad vitam S. Suviberti, apud Sur. 1. Martii, Baron. Tom.9. an. Dom. 749.*

Cùm frater meus germanus Adrianus Lindanus prætor Hagenſis in cunis laboraret ex pede ſiniſtro, ac Mater vereretur, ne quid incommodi, aut aliquid claudicationis contraheret, mox à Chirurgo periculi admonita votum Deo obtulit, rogans ut interceſſione D. Machuti, qui in Eccleſia Trajectenſi ad Rhenum ſolet talibus in periculis ad auxilium, & comprecationem implorari, puer malo liberaretur: ivit, vota obtulit, rediit, filium reverſa domum ſanatum reperit, ac nos lætiſſimo fuiſſe perfuſos ejus redeuntis gaudio commemini. *Gulh. Lindan. Epiſc. Ruremund. lib.2. de fugiendis idolis hujus ſæculi cap.2. apud Bredemb. lib.4. cap.38.*

Unum illud ingratæ oblivioni tradere mihi foret religio, quod ex religioſa Parentum meorum pietate mihi puero ex ſingulari ſancti Huberti patrocinio, & certo præſidio accidiſſe vicini noſtri meminerunt non pauci. Rabidum agitabant canem cives Dordraceni, qui per compita obvios ſuos venenato morſu momorderat. Ille perſecutorum plagas, lapides, & clavas fugiens ædes paternas tranſcurrebat. Quotquot illum accurſantem, turbamque inſequentem videbant, aufugerunt. Ego in platea publica meis cum æqualibus ludens, periculi ignarus perſtiti, pueriliter admirans tantam hominum turmam accurrere armatam: acclamant, diſcedam de via. Verùm priuſquam ego me ſubtrahere potui, ille ore rabido frendens, capite in terram pendulo, flammantibus inſtar lampadum oculis, exerta lingua ſpumans, caput agitans, juxta me innoxius tranſiit, tota ſpectantium corona obſtupeſcente, quòd me obvium, & tam vicinum intactum præcurreret; cùm aliis aliquot occurrentibus ſuum virus venenato morſu infudiſſet. Domum reverſus audivi parentes Deo gratias immortales agentes, quòd me D. Huberti tutela, & precibus malo tam præſenti eripuiſſent. Nam ob ſimilia pericula evitanda, quæ tum temporis non erant infrequentia, licèt nunc Deus ſimilia evenire certo ſuo conſilio non patitur, curarat pia mater, nos, totamque familiam noſtram fraternitati B. Huberti inſcribendos. *Idem Lindan. ibid. apud Bred. cap.39.*

Cùm me puerum (ne domeſtica Dei optimi maximi noſtram in familiam collata ingrato prætereamus ſilentio) gravius gingivarum corripuiſſet dolor, pia Mater mea (cui cum parentibus omnibus Deum precor quotidiè propitium) meis cruciatibus afflicta, mei liberandi à malis cauſa D. Apolloniæ votum fecit, diemque jejunio ſe culturam promiſit, ego me illius precibus liberatum memini: atque occurrente divæ Apolloniæ feſto, me matrem ſcio admonuiſſe ob acceptum per interceſſionem divæ beneficium, die eo eſſe jejunandum, votumque ſolvendum. Illa adblandiens puerili voto; Jejunium, fili, inquit illa, in alium transferamus diem, quia ſunt carnivalia, ſive, uti vulgus appellat, carniſprivium. *Idem Lindan. ibid. apud Bred. cap.38.*

Quidam Juvenis Senenſis paſſus fuerat magnam infirmitatem in parte inferiori, utpotè quia ruptus erat. In qua infirmitate

mitate cùm ſtetiſſet per magnum tempus, votum fecit B. Auguſtino, & facta oratione liberatus eſt. Et quia votum, quod faceret minimè adimplevit, infirmitas illa poſt modicum tempus rediit: Cùmque iterùm per ſex menſes paſſus eſſet, iterùm votum fecit, & adimplevit, & continuò liberatus eſt. *Jordan. Saxon. lib. 2. de Com. cap. 13.*

Domina Maria uxor D. Arnoldi, neptis ſummi Pontificis ex ſorore, cùm apud Avenionem eſſet prægnans, necnon & hydropica, & à medicis deſperata, adeò ut indulgentiam in articulo mortis plenariam per Epiſcopum Lugdunenſem, tanquam brevi moritura, conſecuta eſſet, confeſſarius ejus ei ſuaſit, ut ad B. Thomam, de cujus canonizatione tunc agebatur, conciperet devotionem, ſeque ei devoveret pro beneficio ſanitatis impetrando. Quòd cum feciſſet, ſequenti nocte vigilans vidit perſpicuè propè lectum conſiſtere S. Thomam in habitu Prædicatorum ſibi miti voce dicentem: vis tu curari? At illa exiſtimans illum eſſe quendam Epiſcopum ſibi notum, quæſivit, num veniſſet confirmaturus indulgentias, quas procuraverat Epiſcopus Lugdunenſis. Cui S. Thomas: Ego non ſum talis Epiſcopus, ſed frater Thomas de Aquino, cui te devoviſti; & addidit: Comple votum tuum, & ſanaberis. Illo diſparente, nunciavit matri viſionem. Vovent igitur mater cum filia, quòd in ſingulos annos in nativitate Domini mittent cereum ſex librarum ad viciniorem Conventum Ordinis, & fratrem unum veſtient, quem magis indigentem videbunt. Manè facto, corpus ejus detumuit, nec tamen votum ſubitò complevit. Unde nocte ſequenti apparens iterùm B. Thomas, durè arguit, quod nondum votum compleviſſet. Quòd cùm citiſſimè feciſſet, perfectam ſanitatem accepit. *D. Antonin. 3. part. Chronici, Tit. 23. cap. 7. quæſt. 13.*

Cùm bellum gererent Romani cum Mauritanis, victique fugarentur à Barbaris, ac plurimi illorum paſſim cæderentur; Militem quendam unus ex Barbaris nactus, haſtam, ut illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cum cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuiſti ancillæ Teclæ, & eripuiſti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac neceſſitate, & ſalva ex hac acerba morte, mox ibo in eremum, & agam vitam ſolitariam. Converſus autem neminem ex Barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha. Manſeratque jam in ſpelunca, Dei ſe protegente gratia, annos triginta quinque. *Sophronius prat. ſpirit. cap. 20.*

* VOTA IMPIA NON IMPLENDA, RETRACTANDA, DEO INVISA.

Exempla S. Scripturæ.

Laudatur David Rex, quòd ad preces Abigail uxoris Nabal, non occiderit Nabal, ſicut in iracundia juraverat ſe facturum. 1. *Reg.* 25.

Peccavit autem Saul temerè, & inconſultò vovendo, neminem virorum, qui ſecum erant, aliquid guſtare debere, niſi prius confeciſſet omnes hoſtes. 1. *Reg.* 14.

Jephthe pugnaturus contra filios Ammon. ☞ *Vide ſuprà Vota vera ſuſcepta. Jud. cap. 1.*

Poſtquam percuſſus fuit à Deo Antiochus. ☞ *Vide ſuprà Vota extorta, & vana. 2. Mach. 9.*

Crudele votum, & impium fecerunt illi Judæi, qui accedentes ad principes Sacerdotum dixerunt. Devotione devovimus nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulum. *Act. cap. 23.*

HISTORICA.

Alboinus Rex I. Italiæ, rebus proſperè adminiſtratis, Ticinum inde interiore cura obſeſſum poſt tertium demùm, quàm obſideri cœptum erat, annum pervenit in poteſtatem. Populum ſe trucidaturum, iratus Alboinus, ſi urbem caperet, concepto voto jurarat. Id ne poſt victoriæ compos efficeret, triſte omen oculis oblatum admonuit. Ingrediente ferociter urbem, equus ejus in limine portæ procubuit; neque aut calcaribus, aut verberibus ullis poterat excitari. Qua re animadverſa, unus è Longobardis dixit: Revoca, Domine, votum, quo te obſtrinxiſti, populum hunc, ſi urbe potireris, peſſum daturum, & urbem ingredieris? Nam verè Chriſtianus in hac urbe reſidet populus. Tum Alboinus; Atqui civibus, inquit, veniam me daturum, ſi audientes dicto fuerint, ſpondeo. Atque his dictis, repentè equus ejus magna cum omnium admiratione ſurrexit. *Carol. Sigon. lib. 1. Regni Italiæ an. Dom. 571. ex Paulo Diacono de geſt. Longobardor. lib. 2. cap. 13.*

Alagisus vel Alachis Dux Tridentinus, Longobardus, cùm præfectum Bojorum Graphionem, qui Piſonium, & cætera caſtella Atheſinæ vallis pro prætore adminiſtrabat, tumultuoſo prælio ſuperaſſet, Regi ſuo Cuniperto, vel Berthárico rebellat. Cùmque Sacerdotem regiis armis indutum, quem Regem eſſe putarat, pugna occidiſſet, & ſpoliatum galea, raſura Sacerdotem fuiſſe proderet, votum nuncupavit, ſi victoria potiretur, ſalacibus myſtis fibulam ſe impoſiturum, genitalibuſque Sacerdotum puteum impleturum. Sed voti impii pœnas dedit: Caput enim ejus fuit amputatum, & crura ſucciſa ſunt. *Lib. 3. Ann. Bojorum Paul. Diac. lib. 5. de geſtis Longobard. cap. 15. & ſeq.*

De Impio Juliani Imperatoris voto ita ſcribit *S. Joannes Chryſoſt.* Contra Perſas bellum ſuſcepturus, tanto cum faſtu cùm diſceſſiſſet, ac ſi omnem barbarorum gentem deleturus eſſet; identidem nobis comminabatur, cùm diceret, omnes ſe poſt à Perſis reditum funditus perditurum. Hoc enim bellum ſibi eſſe Perſico gravius; atque adeò oportere, mitiore illo confecto, tunc demum ad id, quod majus foret, deſcendere. Et hæc quidem annunciabant, qui illi à conſiliis erant. Porrò votiva victima (inquit Gregorius Nazianzenus) quàm magna, quàmque eximia? O Chriſte, & Verbum, & paſſionis impaſſibilis totiuſque Orbis myſterium! Univerſam Chriſtianorum gentem dæmonibus ſiſtere, ſi propoſiti compos exiſteret. Jam verò ad eorum cædem (ut ait Oroſius) theatrum Hieroſolymis ædificari juſſerat, ut ibi eſſet ipſorum carnificina, unde religio hujuſmodi videretur eſſe progreſſa. Hæc ſcientes Chriſtiani, infit Nazianzenus, omnibus humanis auxiliis deſtituti, Deum, in quem tantum unica ſpes collocata erat, aſſiduis precibus interpellabant, vigiliis, atque jejuniis, aliiſque pietatis officiis urgebant importunè, ut deſtinato neci omni populo Chriſtiano, Chriſtianæque religioni funditus eruendæ, quàm citiſſimè ſuppetias ferret: nec deſtiterunt, quouſque Deus eos audivit. *D. Joan. Chryſoſt. adversùs gentes. Gregor. Nazianz. orat. 2. in Julianum. Oroſ. lib. 7. cap. 30. Baron. tom. 4. an. 363.*

* VOTA IN PERICULIS NUNCUPANDA.

Cùm in Gregorio Nazianzeno ſimul cum ætate incredibilis litterarum amor creſceret, primùm Cæſaream profectus eſt, ubi cum præſtantiſſimis quiſque conſuetudine habita doctrinam haud exiguam collegit. Inde in Palæſtinam migravit, ut optimam dicendi facultatem addiſceret. Hinc Alexandriam perrexit, ut multiplicem prudentiæ theſaurum ex variis hominum moribus, rebuſque colligeret. Qua in urbe cùm plurimùm utilitatis percepiſſet, doctiſſimas illas Athenas inviſere cupiens, incommodo tempore mari ſe commiſit. Itaque coorta repentè tempeſtate ſummum vitæ periculum vectores ſubierunt; prorsùs ut venti in apertam navis perniciem conſpirare viderentur. Ibi verò cùm alii omnes corporis mortem deflerent, Gregorius de animæ exitio, atque internecione ſolicitus veſtem lacerabat, tantiſque clamoribus, & querelis vectores omnes exterrebat, ut nemo eſſet, qui non omni ſuiipſius cura abjecta, illius luctui ſeſe ſocium adjungeret. Nondum enim ſacris aquis à primi parentis delicto, quod in omnes derivatur, expiatus erat. Itaque ut præſens animæ periculum evaderet, poſt lachrymas, & preces multiplices ardenti pietate fuſas, voto ſe obſtrinxit fore, ſi ſalvus evaderet, & ad regenerationis lavacrum perveniret, ut ſe perpetua ſervitute Deo conſecraret. Hoc votum protinus optata ſerenitas conſecuta eſt, tantaque tranquillitas, ut ipſe non modò Gregorius per inſperatam ex tempeſtate ſalutem, Dei manifeſtè miſericordiam, ſed & ii, qui variis, multifidiſque erroribus tenebantur, unius, ac ſummi Dei potentiam intelligerent, ſeſeque pari cum Gregorio alacritate ad Chriſti fidem, cultumque reciperent. *In vita ejus apud Sur. 9. Maii Zacharias Lippeloo.*

☞ *Huc refer ex Superioribus pleraque.*

* APUD ETHNICOS VOTA SUSCEPTA.

PRO INCOLUMITATE Principum.

REIPUBLICÆ.

Vota pro Pompejo, pro Auguſto facta eſſe indicat *Diod. l. 41. & Juvenalis Satyra 10.*

Ante eos pro Livio Druſo, cùm repente in publico Tribunus plebis ſemianimis concidiſſet, vota per Italiam publicè ſuſcepta ſunt. *Aurel. Victor. in lib. vir. illuſt. cap. 66.*

Equites

Equites Romani Natalem Auguſti ſpontè, atque conſenſu biduo ſemper celebrarunt, omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute ejus ſtipem jecerunt, ait *Suet.* In tabulis ea vota ſcribebantur.

Augustus vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium cùm luſtrum in campo Martio magna frequentia conderet, nuncupare juſſit. Nam ſe quanquam conſcriptis, paratiſque jam tabulis negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus. *Suet. c. 97. Martialis:*

Quantus in Latias mundi conventus ad aras
Suſcipit, & Solvit pro duce vota ſuo.

Caligula cùm in proximas Campaniæ inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt: ingreſſoque urbem, jus, arbitriumque omnium rerum illi permiſſum eſt, tanta publica lætitia, ut tribus proximis menſibus, ac non totis quidem, ſuprà centum ſexaginta millia victimarum cæſa tradantur, ut verò in adverſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quippè capita ſua titulo propoſito voverent.

Pro Livia vota ſuſcepta indicat *Tacitus lib. 3. Annal.*

Inceſſit deindè Religio, quonam in templo locandum eſſet votum, quod pro valetudine Auguſti Equites Romani voverant equeſtri Forunæ.

Pro Vero ad Parthicum bellum Senatus voluntate miſſo, cùm eum Canuſii ægrotare rumor eſſet, vota ſuſcepta prodit *Capitolinus in M. Antonio.*

Reperti Cives, qui morientes juſſerunt pro ſe vota ſolvi, quòd Auguſtum ſuperſtitem reliquiſſent, ait *Suet. in Auguſto, cap. 39.*

Sed & pro Germanici incolumitate, cùm eum morbo levatum, recreatumque fama ferret, vota reddita, narrante *Cornelio Tacito lib. 2. Annal. & Suet. in Caligula c. 6.*

Fuere nonnulli, qui caput ſuum pro ſalute Reipublicæ devoverunt. *Livius lib. 5.* M. Fabio Pontifice præfante carmen Senes ſe devovent pro patria, cùm Galli Romam irrupere, *lib. 8.* De Decio: Præi verba Pontifex, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite, manu ſubter togam ad mentum exerta ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere, &c. *Vide auctor. lib. de Viris Illuſtrib. & Cicer. lib. 1. de nat. Deor.* Conceptis verbis, inquit, Decii, ſe devoverunt capite velato.

Tacitus lib. 3. Hermunduri Cattorum aciem Marti, & Mercurio ſacravere, quo voto equi, viri, omnia hoſtium occidioni dantur.

AMICORUM.

Vulgò pro amicis ægrotis Romæ vota ſuſcepta. *Propertius lib. 2. epiſt. 7.*

Natali quoque ſuo amici vota invicem faciebant. Apud *Spartianum* Adrianus natali ſuo ultimo cùm Antonium commendaret, id eſt, vota pro eo faceret.

IN CASTRIS.

Nuncupabantur ea vota & in Caſtris apud ſigna. *Tertul. de Corona.* Ecce annua votorum nuncupatio, quid videtur? Prima in principiis, ſecunda in Capitoliis. Hunc tibi, Jupiter, bovem cornibus auro decoratis, vovemus eſſe facturum, id eſt, eſſe facturos.

Ælius Cæſar apud *Lampridium*, votorum cauſa ab Hadriano lugeri eſt vetitus. *Tertullianus*, ſolemnia vocat Imperatorum.

ANTE PUGNAM.

Imperatores ante pugnam vota ſuſcipiebant. *Plaut. Amphit.*

Imperator utrinque hinc, & illinc vota ſuſcipere:
Hortari exercitum.

Galli Aſtrionico duce vovere de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem. Intercepit Jupiter votum, nam de torquibus eorum trophæum Jovi Flaminius erexit.

Verdumaro rege Romana arma Vulcano promiſerant, aliorſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Jovi opima ſuſpendit.

POST NAUFRAGIUM.

☞ *Vide Locum de Tabulis.*

Augustus Cæſar, cùm Cajum ex filia nepotem in Armeniam mitteret, optabat à diis, ut illum Pompeii benevolentia, audacia Alexandri, ipſius autem fortuna comitaretur. Quod in ſingulis erat præcipuum, id optabat uni contingere. Illud autem ſingularis cujuſdam erat modeſtiæ, quòd vir ingenio, doctrina, conſilioque præſtans, ſua præclarè geſta fortunæ adſcribebat. *Plut. in Apopb.*

Biagoras cùm in Samothraciam veniſſet, atque ei amicus quidam dixiſſet: Tu, qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint; Ita fit, inquit, illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragium fecerunt, & in mari perierunt. *Bruſc. lib. 7. cap. 15.* Riſit ethnicam ſuperſtitionem, quid enim poſſunt idola, ac res ludicræ, & nihil?

VOTORUM SOLEMNIA, ET RITUS.

Conſtat vota ſcribi ſolita in tabulis, ac ſubſcribi cùm ſolverentur ſe voti reos ſolviſſe.

Propert. lib. 4. epiſt. 3.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota,
Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

Item:

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subſcribam ſalvo grata puella viro.

Seneca epiſt. 10. Vota polliceri non ſatis erat, ſed atteſtatione, & inſcriptione voti opus fuit.

Conſules priuſquam paludati in hoſtes exirent, vota præeunte Pontifice concipiebant. Unde *Livius*: Dictator, ludos magnos vovet præeunte Pontifice Maximo: Collegium quoque Pontificum de votis cognoſcebat, *lib. 31.*

Etiam populus interdum Romæ vota nuncupabat, præeunte Pontifice. *Livius lib. 41.* Q. Martio Philippo verba præeunte populus in foro votum concepit.

Sub Imperatoribus cudebantur ἀγαλμάτα, ſimulachra, & ſigilla, quibus vota pro quinquenniis Principum, decenniiſque ſignarentur, ut eſt in veteribus inſcript. *Plin. Panegyr.*

Nuncupare vota, & pro æternitate imperii, & pro ſalute civium, immò pro ſalute principum, ac propter illos pro æternitate imperii ſolebamus. Hæc pro imperio noſtro, in quæ ſunt verba ſuſcepta, operæpretium eſt annotare. Si benè Rempubl. & ex utilitate omnium rexerit, &c.

Fuit voventium mos olim, ut qui compotes voti fuiſſent, quo potiora ſumerent, veteribus, novis ſe obligarent votis: utpotè pater, qui ſolus auctorandi poteſtatem habet, votum fili nomine concipere, ipſumque numinibus ſolvere poſſet. *Alexand. lib. 3. cap. 22.*

ETHNICORUM VOTA IMPIA, ET CRUDELIA.

DE FILIORUM, & aliorum morte.

Mos fuit antiquorum Italorum vovendi Ver ſacrum, quo voto ſe adſtringebant magnis in periculis conſtituti, & vovebant quæcumque proximo verè nata eſſent apud ſe animalia oblaturos. Quo nomine quoque pueri, puellæque continebantur.

Poſteà cùm videretur crudele, pueros, & puellas interficere innocentes, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines ſuos exigebant, ut ait *Paulus ex Fauſto.* Teſtimonium adfert & *Nonius ex Siſenna lib. 4. hiſt.*

Poſſunt & exempla Veris ſacri vovendi, faciendique peti à *Livio lib. 22. & 34. & Dionyſio Halicarnaſſ. in 1.* Et inde ait, *Nonius Marcellus* Vernarum nomen pro comitio, & maledicto habitum, quod etiam Vernas appellarunt eos, qui verè ſacro nati eſſent, tanquam devotos, ſacroſque, & deteſtabiles.

De Agamemnone ſic ſcribit *Cicero lib. 3. de Offic.* Quid, inquit, Agamemnon? cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam.

Melius Alexander rex Macedonum, qui cùm fortè monitus, ut eum, qui ſibi porta egreſſo primus occurriſſet, interfici juberet, & aſinarium fortè ante omnes obviàm factum, ad mortem arripi imperaſſet, eoque quærente. Quidnam ſe immerentem, capitali ſupplicio, innocentemque addiceret: & ad excuſandum factum ſuum oraculi præceptum retuliſſet, uſus eſt callido reſponſo aſinarii. Aſinarius quippè reſpondit; Si ita eſt, inquit, rex, alium ſors huic morti deſtinavit, nam Aſellus, quem ante me agebam, prior tibi occurrit. *Valer. Max. lib. 7. cap. 3.*

Rex Noab videns prævaluiſſe adversùm ſe hoſtes, arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum, ex quo & facta eſt indignatio magna in Iſrael; quare & obſidionem ſolverunt ejus, & receſſerunt ab eo, & reverſi ſunt in terram ſuam. 4. *Reg. cap. 3.*

CRU-

CRUDELIA IN IPSOS VOVENTES.

Devoverunt & multò crudelius ſeipſos quidam morti, prætextu religionis: credentes ſic ideò placandos iri Deos.

M. Curtius, cùm in media parte fori Romani vaſto, ac repentino hiatu terra ſubſideret, reſponſumque eſſet, re illum tantummodò compleri poſſe, qua populus Romanus plurimum valeret, militaribus inſignibus ornatus, equum conſcendens, eum vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit. *Livius in 7. Oroſ. in 3. cap. 5. Val. Max. lib. 5. cap. 6.*

Sic Decius cùm Latino bello Romano aciem inclinatam, & penè jam proſtratam videret; caput ſuum pro ſalute Reip. devovit. *Valer. ibid. & Livius in 8. & in 10.* Idipſum filium Decium feciſſe, teſtantur *Zonar. & Cic. in Catone.*

ILLUSORIA, ET FRAUDULENTA. VOTI ABUSUS.

Sub prætextu voti ſolvendi, & muneris offerendi Minervæ Troja, quæ per obſidionem 10. annorum capi à Græcis non potuerat, capta, & direpta fuit, admiſſo equo ligneo, quo incluſi erant hoſtes Achivi, qui eo munere deceperunt Trojanos, ſcribit *Tryphiodorus Ægyptius Grammaticus, & Poeta in libello, qui dicitur Ἰλίου ἅλωσις Ilii excidium, & Virg. lib. 2. Æneid.*

Sub ſpecie benè ſolvendi voti, voluerunt decipere Romanos contraria dedicatione Etruſci. Siquidem, ut refert *Gellius lib. 15. cap. 3. ex M. Verrii Flacci libro rerum memoria dignarum*, cùm Haruſpices ex Etruria hoſtili, & inimico animo à Romanis acciti, quando ſtatua Romæ in comitio poſita Horatii Coclitis fortiſſimi viri de cœlo tacta eſt, & id fulgur piaculis luendum eſſet contrariis religionibus ſtatuiſſent, ut nocerent Romanis, ſtatuam in inferiorem locum ponendam, quæ eſſet in locum editum ſubducenda, de perfidia detecti, & confeſſi necati ſunt.

Juſt. lib. 21. narrat, Dionyſium Syracuſanorum tyrannum, cùm rapinæ occaſio deeſſet, univerſam civitatem callido commento circumveniſſe, & prætextu voti ſolvendi Veneri, poſtquam perſuaſiſſet mittendas eſſe electas ex omnibus meliùs ornatas, immiſſis militibus illa ſpoliaſſe.

Cùm Megarenſes inermes ejicere vellet ex urbe, & ex Chalcidenſibus Theocles finxit ſe belli tempore votum nuncupaſſe, ſi urbe potiti ſine periculo fuiſſent, duodecim Diis ſacrificia peracturum, pompamque armis ornatam celebratiorem. Megarenſes autem nihil mali ſuſpicantes Chalcidenſibus arma mutuantibus dederunt ad pompam, donec ſacrificium peragetur: At poſtquam armati in foro conſtitiſſent, juſſi Megarenſes ante ſolis occaſum ex urbe diſcedere, & ita inermes Megarenſes facilè è Leontino pulſi. *Polyænus lib. 5. Stratagematum.*

Midas *teſte eodem Polyæn. l. 7.* ſimulans ſe diis magnis rem divinam facturum per noctem, Phryges cum tibiis, tympanis ac cymbalis eduxit, quibus enſes occultè geſtandos dederat. Cives domibus egrediebantur ad ſpectaculum: at illi tympana, cymbalaque pulſantes ſpectatores trucidaverunt, & in ædes apertas impetu facto Midam tyrannum conſtituerunt.

Lacon, cùm voto ſe obſtrinxiſſet, quod ſe de Leucate petra præcipitem daret, conſcendit montem, & conſpecta altitudine ſe avertit. Id cum illi probri gratia obiiceretur: Non putaram, inquit, illi voto majore voto opus eſſe, joco illuſit inconſtantiæ, formidiniſque crimen. Etenim qui facinus arduum concipit animo, priùs à Diis optare debet animum facinori parem. *Plut. in Lacon.*

* VOTI VIOLATIO PUNITA. EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Hujus rei ex ſacris litteris duo exempla proferam. Alterum ex veteri Teſtamento, alterum ex novo.

Ex veteri quidem Uxoris Loth, de qua *B. Ephræm Parœneſi 9.* Ne hodiè, inquit, renuntiatio ſeculi, & abdicatio rerum terrenarum, ac valedictio patriæ, ac amicorum, parentumque carnalium propter ſpem in Dominum Chriſtum: cras autem noſtram religionem, & patriam, atque hæreditatem inquiramus. Uxor ſiquidem Loth retrorſum converſa in columnam ſalis mutata eſt. Quare & Dominus inſtruit nos, dicens. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cœlorum.

Huic tamen addi poteſt, ut advertit *Turrianus lib. 1. de Votis Monaſticis*, quòd Samſon ideò afflictus à Philiſthæis, & cæcitate percuſſus fuit, quia in culpa erat, ut votum Nazaræorum de capillis nunquam tondendis violaretur.

Eccur Achan tantopere à Deo punitus, & propter illum univerſus Iſrael, quam quod de anathematæ, ſive de ſpoliis Deo conſecratis, per votum, accepiſſet.

Ex novo verò Teſtamento SS. Patres producunt exemplum Ananiæ, & Saphiræ, ut *B. Hieronymus ad Demetriadem de Virginitate ſervanda.* In actis, ait, Apoſtolorum, quando Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes poſſeſſiones ſuas, & pretia earum ad Apoſtolorum deferebant pedes, ut oſtenderent pecunias eſſe calcandas, dabaturque ſingulis prout cuique opus erat. Ananias, & Saphira diſpenſatores timidi, immò corde duplici, & ideò condemnati, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua, & non ejus, cui ſemel ea voverant, partemque ſibi alienæ ſubſtantiæ reſervaverunt, metuentes famem, quam vera fides non timet, præſentem metuere vindictam, non credulitate ſententiæ, ſed correctionis exemplo. Denique & Apoſtolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, ut ſtultus Porphyrius calumniatur; ſed Dei judicium prophetico ſpiritu annuntiat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum.

HISTORICA.

Neque deſunt hujus rei exempla in hiſtoriis cùm Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus. *Gregor. lib. 2. dialog. cap. 25.* talem narrat hiſtoriam. Quidam ejus, (S. Benedicti) Monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monaſterio nolebat. Cùmque eum vir Dei aſſiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipſe verò nullo modo conſentiret in congregatione perſiſtere, atque importunis precibus, ut relaxaretur, innueret, quadam die idem venerabilis pater nimietatis ejus tædio affectus, iratus juſſit, ut diſcederet. Qui mox, ut Monaſterium exiit, contra ſe aſſiſtere aperto ore Draconem in itinere invenit: cùmque eum idem Draco, qui apparuerat devorare vellet, cœpit ipſe tremens, & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, quia Draco iſte me devorare vult. Currentes autem fratres Draconem minimè viderunt, ſed trementem, atque palpitantem Monachum ad Monaſterium reduxerunt. Qui ſtatim promiſit, nunquam ſe eſſe à monaſterio receſſurum, atque ex hora eadem in ſua promiſſione permanſit. Quippè qui ſancti viri orationibus contra ſe aſſiſtere Draconem viderat, quem prius non videndo ſequebatur.

Idem in Epiſtola ad Ruſticanam Patriciam lib. 9. Epiſt. 38. Dum in natalitio ejuſdem Apoſtoli (Andreæ) jam meridianis horis fratres quieſcerent, ſubitò quidam Frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus teſtabatur ferre ſe non poſſe, quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem, & à præſentibus alienum, nihil quod foris agi poterat, ſentientem, eumque in manibus levaverunt, atque ante altare S. Andreæ Apoſtoli projecerunt, ipſique pro eo in oratione proſtrati ſunt. Qui ſtatim ad ſe reverſus, quid paſſus fuerat, confeſſus eſt. Quia ſenex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimiſit, dicens: Quare fugere voluiſti de Monaſterio iſto? Cùmque evadere de canis morſibus nullo modò potuiſſem, venerunt quidam Monachi, & eundem ſenem pro me rogaverunt. Qui ſtatim juſſit canem abſcedere, & ipſe ad me reverſus ſum. Qui etiam confeſſus eſt, quia eo die, quo iſta pertulit, conſilium habuerat de eodem Monaſterio fugere.

Adjungit & ibidem aliud exemplum. Alius, inquiens, quoque Monachus diſcedere de eodem Monaſterio latenter voluit, cùmque hoc mente tractaſſet, voluit Oratorium ingredi, ſed ſtatim dæmonio traditus vehementer vexatus eſt. Relinquebatur verò à dæmonio, ſi extra Oratorium ſtetiſſet, & nihil patiebatur adverſi. Si verò conatus fuiſſet ingredi, ſtatim maligno ſpiritu traditus vexabatur. Cùmque hoc ſæpiùs fieret, culpam ſuam confeſſus eſt; quia egredi de Monaſterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres ſeſe per triduum in precibus adſtrinxerunt, atque ita curatus eſt, ut ad eum poſtmodum nunquam ſpiritus malignus accederet. Dicebat autem, ſic eundem beatum Apoſtolum, dum vexaretur, vidiſſe, ſeque ab eo increpatum eſſe, cur voluiſſet abſcedere. Hactenus. *Gregorius.*

Plura exempla habes in B. Petro Damiani Cardinale, ut *lib. 2. epiſt. 15. & lib. 5. epiſt. 17. & lib. 5. epiſt. 16.*

Abbas Polychronius nobis narravit, inquit Joannes *Eviratus*, quod in cœnobio Penthucula Frater quidam erat, ſibi ipſi valdè intentus, & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à ſpiritu fornicationis, non valens hanc pugnam ſuſtinere, egreſſus de Monaſterio, profectus eſt Hiericho, ut concupiſcentiæ ſuæ ſatisfaceret. Moxque ut meretricis cellam ingreſſus eſt, leproſus factus eſt totus. Videns autem lepram continuò rediit ad Monaſterium, Deo gratias referens, & dicens. Idcircò Deus hac me caſtigatione percuſſit, ut anima mea ſalva ſit, & magnificè glorificabat Deum. *Prat. ſpirit. cap. 15.*

Narravit nobis, inquit, idem Eviratus *cap. 14.* Abbas Elias, dicens: Cùm aliquando morarer in partibus ſancti Jordanis in ſpelæo juxta Eunuchorum Monaſterium, ideò quòd non communicarem Macario Archiepiſcopo Hieroſolymitano, die quadam circa horam ſextam, æſtu vehementiſſimo coquente deſuper (erat enim Auguſtus menſis) pulſavit quidam oſtium ſpeluncæ meæ. Egreſſus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hìc facis? Et reſpondens dixit mihi: Et ego, mi pater, ejuſdem, quo tu, inſtituti ſum, & quaſi uno lapide diſtat à te ſpelunca mea. Oſtendebat autem & locum quaſi ad Auſtrum. Et ait: Luſtravi hanc eremum, & præ æſtu nimio ſiti fatigata ſum, fac ergo charitatem, Pater, & da mihi puſillum aquæ. Itaque protuli urceum, & dedi ei. Quæ cùm ſumens bibiſſet, dimiſi illam. Cùm autem abiiſſet, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes ſordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, ſumpta virga mea cellam egreſſus ſum in fervore æſtus, cùm lapides igneſcerent, profectuſque ſum ad illam, ut implerem turpem concupiſcentiam. Cùm verò fermè uno ſtadio ab ejus adhuc ſpelæo diſtarem, urente me graviter æſtu libidinis, repentè factus in ecſtaſi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ abſorptum. Aſpicioque illic cadavera putrida jacentia, & reſoluta, & incredibili fœtore plena, quendamque reverendi habitus virum ea mihi demonſtrantem, ac dicentem: Ecce iſtud mulieris eſt, iſtud viri, iſtud pueri: fruere jam, ut vis, & quantum libet concupiſcentia tua: hujus tamen voluptatis gratia, vide, quot labores amittere voluiſti. Vide, propter quod peccatum vos ipſos privare vultis regno cœlorum. Væ humanæ miſeriæ. Propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede fruſtramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me: & gratias agens Deo reverſus ſum in locum meum.

Hartfridus beati Trudonis conſanguineus, continentiæ voto non amore, quem gratia remunerat, ſed timore potiùs, quem juſtitia punire ſolet, ſeſe obſtrinxerat. Is poſteà promiſſionis immemor conjugium poſtulat, implet, & conſummat. Nocte verò ſequenti, ecce vir Dei, tota ſanctitatis ſuæ coopertus auctoritate, cum terrore ad eum ingrediens, ſic increpat: Cur violata fide, uxorem ducere non timuiſti? Quàm fruſtra hoc feceris, vel ex hoc intellige, quamvis uxoratus ſis, ſemper tamen eris ſine ſobole: & virga, quam gerebat, percutiens in femore: Signum, ait, id ſit neglectæ promiſſionis; donec vives, curvo crure, inceſſu malè prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus eo verbere, agnoſcit auctoritatem, & culpam fatetur; mutatus in melius comam deponit, & Monaſterium ingreditur, ubi vitam caſtitate ſatis emendat. *Theodoric. Abbas in vita ejus lib. 2. cap. 1. apud Sur. Nov. 23.*

Cùm ſanctimoniales ſub inſtituto S. Claræ militantes ab hæreticis è civitate Gebennenſi expulſæ fuiſſent, in quandam Sabaudiæ civitatem, quam Catholici incolebant, ſeſe tranſtulerunt. Una tamen earum maluit cum perditiſſimo quopiam, qui Monaſticam vitam abjurarat, matrimonium inire, quàm ſodalium ſuarum conſortio uti, ac patriæ dulcedine privari. Sed perditionis filia dignam factis mercedem accepit: ſacrilegus enim ejus maritus, votifragus, eam poſteà vivam excoriavit, juſtitiæque divinæ executor fuit. *Ex Catech. Hiſt. Dauroltii. Tom. 4.*

Scribit. *Theodoretus in hiſtoria religioſa ſanctorum Patrum*, quendam Iſmaelitam non obſcuro loco natum, ex iis, qui in nomen ſalutare Domini Chriſti crediderant, Deo votum feciſſe, divino viro Simeone teſte, quod deinceps abſtineret ab eſu cujuſvis animati. Hoc promiſſum neſcio quo modo quodam tempore tranſgreſſus occiſam avem auſus eſt comedere, Cùm Deus autem per increpationem eum ad converſionem voluiſſet deducere, & ſuum famulum honorare, qui fuerat teſtis promiſſi, quod is fuerat tranſgreſſus, mutata eſt in lapidis naturam caro avis, adeò ut nec, ſi vellet, quidem deinceps eo veſci poſſet. Quomodò enim potuiſſet, cùm lapiduiſſet, quod ad cibum ſumptum fuerat corpus? Hoc admirando, & incredibili ſpectaculo obſtupefactus barbarus ad ſanctum venit quàm celerrimè, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, & ſuam tranſgreſſionem omnibus enuncians, & delicti à Deo petens veniam, & ſancti auxilium invocans, ut omnipotentibus ſuis precibus ipſum peccati vinculum exolveret. Multi autem id videre miraculum, qui avis partem ex oſſe, & lapide conſtantem viderunt in ejus pectore. *Theodor. in hiſt. Relig. cap. 26.*

☞ *Videat Lector, & exinde huc transferat, Locum Hæreticorum, Tit. mors horribilis eorundem. Sunt enim plerique illorum votifragi, & perfidi, ipſo jure, & facto infames.*

Vox.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

VOx, Græcè φωνὴ, φωνήεις vocalis dicitur. Vox Hebr. *Kol*, ſonus, ſtrepitus, tonitru. Cognationem habet cum *Kahal*, convocavit: item cum *Kapal*, lenis fuit. Quid etiam voce velocius? Hinc καλέω voco, κλέω dico, &c. Eſt autem vox percuſſio aeris inſpirati ad vocalem arteriam moti ab anima, quæ eſt in illis partibus, *ſecund. Ariſtot. l. 2. de anima.*

Vox eſt aeris per linguam percuſſio, quæ per quaſdam gutturis partes, quæ arteriæ vocantur, ab anima profertur, *ſecund. Boeth. in princ. addit. 2. ſuper lib. Periher.*

Vox eſt ſonus cum quadam imaginatione ſignificandi, *ſecund. Boeth. ibid.*

Communis Logicorum definitio eſt: Vox eſt ſonus ab ore animalis prolatus, naturalibus inſtrumentis formatus, *ſecund. Petrum Hiſpanum in princ. ſuæ Logicæ, & Auguſt. Hunnæum in Prodidag.* Sunt autem naturalia inſtrumenta, quibus vox formatur novem. Verſus:

Inſtrumenta novem ſunt: Guttur, Lingua, Palatum,
Quatuor & dentes, & duo Labra ſimul.

Cæterùm Vox eſt quicquid ſonat, & dicitur ἀπὸ τοῦ βοάω, quod eſt ſono. Virg.

—— fractaſque ad litora voces.

Itaque nomen vocis ſumitur tam pro ſono hominis articulato, quàm articulato cujuſque animalis, immò & rei inanimatæ: quomodo cùm lex danda erat, populus videbat voces. *Exod. 20.* & audiebat, nempè ſonitum tubæ, & tonitrui, ut exponitur *in Pſal. 17.* Et Chriſtus *Joan. 3.* dicit de vento ſub nomine Spiritus, Et vocem ejus audis: neque deſunt exempla apud Auctores profanos.

* VOCUM APUD LOGICOS DIFFERENTIÆ, ET DIVISIONES.

Vocem Dialectici conſtituunt ſignificativam, quæ ſignum eſt mentis, ejuſque index: & non ſignificativam. Significativa alia eſt ex inſtituto, alia ex natura: ut cujus ſignificatio abſque opera docentis habetur. Eaque ſignificatio alia primaria eſt, alia ſecundaria. Vox autem ex inſtituto ſignificans, alia eſt ſimplex, alia compoſita: ſimplex verò dividitur in categorematicam, id eſt, ſignificativam, & ſyncategorematicam, hoc eſt conſignificativam, quales ſunt, omnis, aliquis, &c. Quamvis ſimplicitatem, & compoſitionem vocis Dialecticus conſideret juxta modum conceptus voci ipſi reſpondentis; non verò derivationem unius ab altera, quod Grammaticorum eſt proprium.

Cæterùm vox ſignificativa alia univoca eſt, quæ plura ſignificat manens eadem, & ſub eadem ratione. Alia æquivoca, quæ ſub diverſa ratione plura ſignificat.

Iterùm vox alia communis, alia ſingularis. Illa dicitur, quæ de pluribus univocè, ac diviſim verè affirmari poteſt. Hæc verò, quæ de uno dumtaxat ſingulari dicitur, ſic ut de pluribus priori modò nequeat affirmari.

Item vox dividitur in eam, quæ eſt primæ, & illam, quæ eſt ſecundæ intentionis. Priorem vocat, quæ rebus ſignificandis deſtinatur abſque intellectus operatione, ut homo, animal, &c. Poſteriorem quæ hanc requirit, tales ſunt genus, ſpecies, & ſimiles.

Secant inſuper vocem in Concretam, & Abſtractam. Concreta eſt, quæ formam aliquam ſignificat, ſimul innuendo ſubjectum, cui illa ineſt. Abſtracta verò, quæ quidem formam illam ſignificat, non tamen innuit illius ſubjectum, ut verbi gratia albedo.

Huic ſubiici poteſt diviſio vocis in Abſolutam, & Relativam,